



1761.

Stenglin, Daniel: Mentiones communes juridicae  
de collegio fortuito.

1762.

Montglen, Jo. Ben. Fried: De palacere pyrico sine  
fulminari vulgo Schieß-Pulver.

1764.

Montglen, Ernst. J. Fried: De legati immutabilione  
ambitione ita mutuum ad l. 6. C. si certum petatur

1765

1. Becker, Hermann: De cessione legati, cumque in  
concursu creditorum probandi ratione
2. Sevecke, Johann Nicolaus: Von der Lehen - Verjährung,  
nach Mecklenburgischen Verträgen .. besonders dem Articul.  
19. Reversalium vom Jahr 1624. betrachtet

1765.

3. Trendelenburg, Aloysius Fr. D.: Quaestiones  $\phi$  variis juris  
Antonomastice

4. Trendelenburg, Aloysius Fr. D.: De sequestratione

5. Trendelenburg, Aloysius Fr. D.: Prae observatio est  
D. si quis jus d'icte non obtempereverit. 2. Simble

1766.

Dehaardingius, Georg Christoph: De cura infantum recens  
natorum penes Germanos olim unitata occasione docti  
Speckelii C. 16 4.

1767.

1. Becker, Hermann: De traditione feudorum in  
nunc secundum placita juris communis per Germaniam  
obtinentis ac specificationem Mecklenburgicae d. I.

2. Mantzeln, Im Fr. Fried: De jurconsulis extraneis  
in jure Mecklenburgico errantibus



1768

Friedeloburg, Lorenz Rod: De iudicis coronae Diverso  
Conditionibus secundum jus Romanum et Germanicum  
in primis quoque Mecklenburgicum

1769.

1. Rudloff, Wenzel August: Abhandlung von der Nichtigkeit  
der Tauschen Hofgerichte und der Kayserl. Rechts-  
Commerzienrat. Nach einer Anzeige seiner künftigen Vorles-  
sungen
2. Rudloff, Wilhelm August: Vorbereitung zu einem Collegio  
über des kaiserl. Reichsrecht und den Rechts- Prozess  
zu seine gehörig.
3. Rudloff, Wilhelm August: De iure civili in familiis  
illustratus.

1771.

1. Rudloff, Friedrich August: De confirmatione Caesaris  
iuris primogeniturae in familiis illustribus Germaniae





F. g. num. 10.

A1

COMMENTATIO IVRIS FEVDALIS  
DE  
TRADITIONE FEVDORVM  
IN PIGNVS  
SECVNDVM PLACITA 1767, 1  
IVRIS COMMVNIS PER GERMANIAM  
OBTINENTIS  
AC SPECIATIM MECKLENBVRGICI

SECTIO PRIOR

QVAM  
AVTORITATE INCLYTI ICTORVM  
ORDINIS

P R A E S I D E

DN. HERMANNO BECKER

IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE P. O.

PRO SVMMIS IN IVRE CAPESSENDIS  
HONORIBVS

IN ALMA ACADEMIA PATRIA  
FRIDERICIANA

DIE XXIII OCTOBRIS

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

HENRICVS ASCANIVS  
ENGELCKEN

ROSTOCHIENSIS.

BVETZOVII, 1767.



P. 336.







A SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR  
LE DVC FREDERIC  
DVC REGNANT DE MECKLENBOURG,  
PRINCE DES VANDALES DE SUERIN  
ET  
DE RACEBOURG  
COMTE DE SUERIN  
SEIGNEUR DES TERRES DE ROSTOCK  
ET  
DE STARGARD.



MONSIEUR  
A SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSIEUR  
LE DUC FERDINAND  
DUC REGNANT DE NEUCHÂTEAU  
PRINCE DES VANDALES DE SUBINE  
LE  
DE BARBOURG  
COMTE DE SUBINE  
SEIGNEUR DES TERRES DE ROSSIGNOL  
LE  
DE SANGARD





## MONSEIGNEUR.



C'est une temerité , que de mettre à vos  
pieds les prémices de mes études, et c'en  
est une plus grande encore , que d'oser  
supplier respectueusement VOTRE ALTESSE , qu'  
ELLE regarde ces pages d'un oeil favorable. Mais  
la Grace naturelle de VOTRE ALTESSE , que cha-  
cun exalte avec tant de devotion, faisant évanouir  
toute ma crainte, me donne la plus grande espé-  
rance d'un Gracieux accueil. Oserois-je implorer  
VOTRE ALTESSE SERENISSIME , de vouloir  
m'accorder une partie de la Grace , dont il LUI  
a plu honorer feu mon pere , lequel a eu l'hon-  
neur de LA servir jusqu' au tombeau en qualité  
de Vice-Directeur de SON Consistoire. Que  
je



je m' estimerois heureux, MONSEIGNEUR, s'il  
LUI plaifoit d' agréer mes très-humbles souhaits.  
Rien ne bornera jamais mes vues, que la Grace  
de VOTRE ALTESSE SERENISSIME, dont je me  
souhaite rendre digne, en adressant au Ciel les  
voeux les plus ardens pour SA conservation jus-  
qu' aux tems les plus éloignés. Accordés moi la  
gloire, que je meure avec un entier deuouément

MONSEIGNEUR  
DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à Rostock  
ce 23. Octobre

1767.

Je tres humble et le plus  
respectueux valet

HENRI ASCAYNE ENGELCKEN.



## I N G R E S S V S.

**C**ontractus, quem vocant, pignoris inter eos certissime referendus est, qui frequentem admodum usum habent, maximeque commercio civili inseruiunt. Ideo sane non mirum est, cum omni tempore apud omnes fere gentes innotuisse, quare eum Iuris naturae et Gentium esse contendere haud dubitauit Vir, cuius auctoritatem quoad praecepta Iuris Naturalis maximi facimus, HVGGO GROTIUS in tractatu de Iure Belli et Pacis, Lib. II. Cap. XII. §. 13. n. 1. 2. Quo frequentior autem huius contractus usus sese in negotiis civilibus exferit, siquidem adiectitiae, ut aiunt, qualitatis est, eamque ob causam omnibus aliis fere negotiis non potest non accedere: eo magis interest creditoris cauti ac circumspiciti non ignorare, quanam res et bona obiectum huius contractus esse possint, quanam vero lege prohibeantur. Regula quidem, quod omnis ea res debitoris, quae ita comparata est, ut creditori securitatem sufficientem, quam pignus accipiendo intendit, praestet, theoretice vera est, ac nimis generalis, quam ut in hypothese certa satis norma haec dici mereatur. Quaedam enim bona singularem hanc habent ex legum dispositione naturam, ut certa ratione ab omni plane commercio civili exempta sint; quaedam vero sub certis tantum restrictionibus in commercio esse legibus permittuntur; eaque tunc vel plane non vel tantum adhibitis certis requisitis in pignus dari posse certum est. Inter haec autem bona cum feuda praecipue referri debeant, non actum agere opinatus sum, si doctrinam de traditione feudorum in pignus pluribus exponere ac illustrare operam darem. Huius instituti mei iam rationes reddere meum erit, ne quis fortasse plus, quam intentio mea fert ex hac Commentatione expectet. Constat autem, feuda Germaniae duplicis potissimum esse generis; quorundam nempe dominium directum ab ipsa Republica pendet, aliorum autem est penes priuatos in Republica. Illa quidem publica audiunt, haec vero sub priuatorum nomine venire solent. Publica Germaniae feuda duplicem denuo admittere speciem ipsa forma Imperii nostri Romano Germanici efficit. Dominium scilicet directum permultorum feudorum sicuti penes Imperium ipsum Romano Germanicum existit, ita illud aliorum penes territorium

in



in Imperio hosque, qui eorum dominium territoriale exercent, positum est, unde illa Imperii haec provincialia esse dicuntur. Feuda Imperii maximis praeprovincialibus gaudere praerogatiuis, ipsa qualitas et conditio Vassallorum Imperii, qui superioritate territoriali adornati sunt, huiusque vi iurium maiestaticorum vero exercitio gaudent, non potest non efficere. Quare licet generalia Iuris Feudalis principia multa ad haec feuda Imperii probe applicari possint, de omnibus tamen illud affirmari nequit; potius in plurimis partibus haec suam habent singularem naturam, quae etiam singularia Iuris principia gignat necesse est. Potissimum illud obtinet de alienatione ac oppignoratione feudorum Imperii, quippe quae materia, (licet principaliora eius principia *ITTE-  
RVS* in tractatu de feudis Imperii Cap. XXIII. et Perillustri *MOSERVS* in der Einleitung zum Reichs-Hofraths-Proceß Tom. IV. Cap. VII. subministrant) singulari quadam Viri docti tractatione maxime digna esse videtur. Ego vero, dum de traditione feudorum in pignus agere constitui, de iis prostris conticere malui, quam nimis pauca Commentationi meae interferere; hosce potius mihi praescriptos esse volo fines, ut nixcirca feuda provincialia ac, quatenus hodie adhuc existunt, priuata subsistam. Duplicem vero Diatribe haec Iuris Feudalis priuati admittere visa est partitionem, ita ut ante omnia inquiri necesse sit in ea, quae ad licitam simulque validam feudorum oppignorationem legibus supponuntur, quo certius de eo appareat, an et quatenus feuda in pignus tradere liceat? Dein vero hisce suppositis agi oportere visum est de effectibus, quos traditio feudorum in pignus secum habet coniunctos, quatenus ea vel licita vel illicita, siue valida siue inualida ratione fuit suscepta. Sua sponte ergo Commentatio nostra duas in Sectiones dispescitur, quarum prima validae feudorum oppignorationis requisita, altera autem effectus inde oriundos proponat. Vtrumque quidem ita aggredi mihi animus est, ut sancta Iuris Communis per Germaniam obtinentis praemittam, iisque, quae de Iure Mecklenburgico singularia occurrere animaduerto, annectam et subiungam, sique et Communis et Patrii Iuris simul rationem habeam.

Aequi bonique ut hanc qualemcunque Commentationem consulat quilibet eam legete haud recusans, eaque, quae minus recte posita dictaque sunt, benigne ignoscat, summis petere non possum non precibus. Ego vero omnem meam nauabo operam, ut meliora deinceps praestare valeam.



SECTIO





SECTIO PRIOR,  
IN QVA EA,  
QVAE AD VALIDAM FEVDORVM IN PIGNVS  
TRADITIONEM REQVIRVNTVR,  
DE IVRE COMMVNI ET MECKLENBVRGICO  
DISCVTIVNTVR.

---

§. I.

TERMINI, QVI IN RVBRO COMMENTATIONIS  
OCCVRRVNT, EXPLICANTVR.



rimam methodi accuratae siquidem non  
nescio istam esse regulam, ut ille, qui,  
quid sibi de materia quadam proposita vi-  
deatur, solide explicare vult, in limine  
commentationis adaequatam ideam termi-  
norum, de quibus sibi sermo est, explicet ac explanet; hasce et-  
iam meas partes fore animaduerto, ut, quid mihi feudum, quidue

A

tra-





traditio in pignus significet, breuiter exponam. At vero, quod ad ideam feudi attinet, quemlibet Ictorum singularem sibi de eo fingere, quotquot fere exstant volumina de rebus feudalibus conscripta abunde docent. Alienum plane a scopo meo est, vt quid in singulis Doctorum Iuris Feudalis de feudo definitionibus desiderari, seu quid in iis superfluum esse videatur, pluribus prosequar; a) sufficet mihi dixisse, me definitionem illam, quam illustris ac celeberrimus BÖHMERS in *Praecognitis Principiorum Iuris Feudalis* b) struxit, eo lubentius amplecti meamque facere, quo magis mihi est exploratum, eam omiſſis ac neglectis accidentalibus, quippe quae definitionem ingredi nefas est, iisque, quae naturam feudi tantum constituunt, veram indolem ac essentiam feudorum optime exprimere, indeque ad omnia feudorum genera, siue ea dixeris publica, siue priuata, siue Imperii, siue prouincialia, siue propria, siue impropria, nunquam non applicari posse. Cum vero vocabulum feudi, quemadmodum de eo inter omnes constat, modo pro contractu feudali, alias pro ipsa re nexui clientelari subiecta, denique pro iure circa rem nexui addictam beneficiario accipi solet; c) illud monendum habeo, me quidem, cum de traditione feudorum in pignus commentari constituerim, non tam ad priorem & vltimum vocabuli significatum respicere, quam potius mediam termini nostri significationem supponere, vi cuius rem ipsam nexu feudali comprehensam designat; quae quidem denominatio vernacula nostra optime exprimi videtur vocabulo illo inter nos vsitato: *Lehn-Gut*. Quibus expositis, de altero isto, qui in rubro commentationis est, termino cum plura hoc loco addere non opus esse existimem; pauca etiam de oppignorationis siue traditionis in pignus termino generatim praemittere liceat. Haud insolitum id quidem esse omnes largitoros arbitror, vt & in communi vitae commercio

&amp;





& adeo in scholis Iureconsultorum vsuque forensi eam pignore hypotheca synonymice adhibeatur, quid? quod in ipso Corpore Iuris Iustiniani ( illud sane magis mirum esse videtur ) leges deprehendi, legum ipsarum intuitus edocet, in quibus vtrumque, pignus scilicet ac hypotheca, nomine, non re a se invicem differre perhibentur. Ita enim in *l. 5, de pignoribus §. 1. ICTum*, MARCIANVM differere legimus; „*Inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt.*“ Quo huius ICTi effato, (quod haud in solio vsu moderno comprobari monui) quamuis obstante, nihilo tamen minus multum inter vtrumque re ac nomine interesse arbitror, neminemque fore duco, qui hac de re a me dissentiat, dum ea, quae VIR magni nominis I. H. BOEHMERVS in singulari dissertatione *de diverso pignoris & hypothecae Iure* solide exposuit, secum reputare velit. Et salva omnino res est, facillique negotio eam, quae apparet, contradictionem e medio tolli posse ea, quam VIR CELEBERR. proposuit ratione, haud diffiteri poteris. Saepiuscule scilicet vnum idemque vocabulum modo latiori modo strictiori significato accipi, etiam ICTis est vsitatum; quid vero impedit, quo idem minus de pignore supponamus, & certe hoc supponere debemus. Tunc ergo, cum late vocabulum pignus adhibes, inter illud & hypothecam nil interest, quare ea mente omnino veritas facit cum asserto Imperatoris in *§. 7. I. de actionibus*, inter pignus & hypothecam nil interesse, quoad hypothecariam actionem. Nam „*de qua, inquit, re inter Creditorem & debitorem conuenit, ut sit pro debito obligata, utraque hac appellatione continetur.*“ Iam vero si strictiori sensu vocem adhibere velis, multum a se invicem distat pignus & hypotheca, non sonu tantum nominis, verum etiam tum quoad ipsam vtriusque ideam, tum vero quoad iura ex vtroque orientia admodum a se invicem diuersa. Huc quadrant sequen-





tia §. 7. I. de adtionibus verba; „sed in aliis differentia adest. Nam pi-  
 gnoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quae simul etiam  
 traditur creditori, maxime si sit mobilis. At eam, quae sine traditione  
 nuda conuentione tenetur, proprie hypothecae appellatione contineri dici-  
 mus.“ Haec de pignore praefari volui & debui, vt exponerem,  
 me, dum de traditione feudorum in pignus agam, neququam eum  
 amplecti pignoris significatum, quo cum hypotheca idem est; po-  
 tius ego strictum vocabuli significatum hoc loco mihi sumo, ita vt  
 supponam ius creditori in crediti securitatem in feudo per huius traditio-  
 nem constitutum. Eo magis haec non possum non monere, quo ma-  
 gis mihi persuasum habeo, neque in materia de feudorum oppi-  
 gnoratione (licet alii fortasse a me dissentiant) omnia, quae de tradi-  
 tione feudorum in pignus strictiori sensu sumtum legibus sunt  
 sancita, ad hypothecas in feudo constitutas trahenda esse aut ap-  
 plicari posse, quod quidem infra §§. 13 — 15. pluribus evin-  
 cere operam nauabo. Pignus vero cum vocabulum aequae sit po-  
 lysimum d) ac ille feudi terminus, de quo paullo antea egi, moneo,  
 quod fere monendum non est, me neglecto eo significato, quo con-  
 tractum pignoratitium ipsum indicat, potissimum hic subintelligere  
 eam termini significationem, quae denotat ius in re securitatis causa  
 creditori traditione concessum, licet etiam illam, quo rem pigno-  
 ris causa datam exprimit, haud incongrue hic applicari pateat.

- a) De erroneis ICtorum definitionibus, quas de feudo formare consueuerunt,  
 copiose admodum egi VRI ad SCHILTERVM pag. 1320 — 1330.  
 Euoluas etiam si placet, Doctores, quos Illustris BÖHMERS in Prin-  
 cipiis I. F. Praecogn. C. I. §. 2. Schol. c. adduxit.
- b) Praecogn. I. F. Cap. I. §. 2. Feudum est dominium vile, quod reseruat  
 sibi dominio directo alteri conceditur sub obligatione mutuae fidelitatis  
 specialis.





- c) CARL HENR. MÖLLER in Vſu practico Diſtinctionum feudalium Cap. II. Diſt. 2. Facili negotio definitio Böhmeriana, quae quidem ad feudum pro iure ſuntum proprie pertinet, eam admittet ſignificationem, quam nos ſupponimus, dum feudum pro re nexui feudali ſubiecta accipere volumus.
- d) LAUTERBACH Colleg. Theoret-Practico, lib. XIII. T. I. §. 1.

## §. 2.

PRAEMITTUNTUR GENERALIA QVAEDAM DE RESTRICTA  
VASALLORVM PROPRIETATE.

Breuiter iſta praemonitis, quae ad explicationem terminorum in rubro occurrentium praemonenda eſſe duxi, ad ipſam me accingo diſcuſſionem quaestionis in hac Sectione proponendae, ſcilicet an traditio feudorum in pignus Vaſallis fit permiſſa legibus, an vero prohibita; & ſi poſterius, quatenam ex legum placito & natura feudorum, vt horum oppignoratio convalidetur, requirantur? Quo melius haec procedant, e re mea erit, in reſtictam vaſallorum de feudi ſubſtantia diſponendi facultatem paucis inquirere. Ipſa autem feudorum eſſentia, & quam de iis in §pho. antecedenti ſuppoſui, definitio illud luculenter ſatis oſtendere videntur, quod Vaſallo non plane libera de feudo, quod poſſidet, pro arbitrio diſponendi poteſtas poſſit competere. Dominium enim feudorum non ſoli tenent Vaſalli, ſed illud eos inter & dominum directum quodammodo eſt diuiſum, ita vt ſingulis pars determinata dominiū in iis competat. Omne ſcilicet dominium partes quasdam praecipuas ſeu potentiales, vti loqui amant, comprehendere conſtat, quare ius de ſubſtantia ipſa rei diſponendi, quod proprietatem appellare ſolent, & illud, quod circa diſpoſitionem de conſectariis rei verſatur, in quolibet dominio non poſſunt ſolum ſed debent





etiam cogitari; adeoque vtrumque ius in dominio contentum suas in partes itidem distingui poterit. Quemadmodum vero omne totum resolutionem in partes admittit, ita nec necesse est, omnes partes domini, eas scilicet, quae in proprietate & iure de consecrariis rei, fructibus opinor ac emolumentis, disponendi continentur, simul & vna sumtas, vni subiecto competere; fieri potius potest, vt dominium vnius rei inter plures diuidatur vel quoad iura, quae proprietati insunt, vel quoad ius disponendi de consecrariis obiecti. Eiusmodi distributio domini in partes potissimum sibi in feudis locum vindicat, ita vt Vasallis aequae ac domino directo eorum dominium tribuatur, singulis quidem suo iure. Licet enim ius utendi fruendique feudo simulque de consecrariis omnibus feudi disponendi soli Vasallo vindicetur, eique simul quaedam proprietatis pars haud denegari queat, quod ius Vasalli nomine *utilis domini* a) insignire amant, vtilis, inquam, re magis quam nomine in legibus nostris cogniti; tantum tamen adest, vt facultas de substantia feudi disponendi Vasallo competat plena, vt potius proprietatis particula penes Vasallum sit altera, altera autem penes dominum feudi, quae quidem proprietatis pars domino feudi debita domini directi b) accepit denominationem. Hinc inde poteris haud aegre argumentari, quod non omnia, quae proprietati insunt & inesse cogitantur, iura Vasallus sibi vindicare queat, potius quod propter domini directi, quippe quod proprietatis partem continet, reservationem ea non possint non esse restricta valde ac limitata, ita vt nec dispositio arbitraria de feudo quoad substantiam ei libera esse queat.

2) Non nescio, multos ICtos ius Vasallorum in feudo tantum pro usufructuario habere solere, maxime fretos autoritate textuum Iuris feudalis Longobardici, praesertim II F. 23. §. 2., vbi, „rei in beneficium  
„datae





„darae ususfructus ad accipientem transire dicitur.“ Sed nil impedit, quo ego minus sententiae eorum inhaeream, qui Vasallis dominium utile vindicant, siquidem longe ampliora vasallo tribui iura, quam quae Usufructuario in sensu Iuris Romani tali debentur, deprehendo. Ex pluribus tantum vnum illud per se satis amplum ius vasallorum adducere liceat, vi cuius illis tribuitur lege feudali potestas feudum a quouis eius possessore vindicandi vel quasi II F. 8. Actio autem rei vindicatoria cum nemini nisi domino rei detur, quid manifestius esse potest, quam quod Vasallus, cui leges ipsae eam concedunt, dominus rei sit in feudum ei concessae. Quid itaque impediatur, non video, quo minus utile dominium vasallis tribuamus, siquidem & partem proprietatis & ius utendi fruendi simul ei competere certum est. Obicies quidem, lege feudali tantum Vasallis tribui ususfructum. Ast dudum Viri magnae in Iure autoritatis annotarunt, in capitulo adducto non debere supponi ususfructum Iuris Romani, talem potius, qualis est de Iure Germanico; quippe quem dominio utili acquirere recte defendit MÖLLER in Vf. pr. Dist. Feud. Cap. II. D. 3. ibique alleg. Des. Hisce etiam adiungas necesse est, terminum domini utilitatis inuentum denique mediæ aevi esse, eoque abhinc tempore in foris ac scholis Ictorum eum adhiberi, uti ex diplomatibus usum eius in Seculo XIV. demum Eruditi annotarunt; hinc nec inde, quod ille terminus in libris de consuetudinibus feudalibus non occurrat, vllum argumentum in contrariam partem ducere poteris. Sufficit consuetudinum feudalium collectores Vasallis dominium utile, se, licet non nomine, tribuisse.

- b) Alio sensu dominium directum in feudis ab aliis accipi solet, ita nempe, ut complexum omnium eorum, quae domino directo intuitu feudi constituti competunt, iurium designet.

§. 3.

QUATENUS PROPRIETAS VASALLORVM SIT RESTRICTA,  
VNDE COGNOSCI QVEAT.

Quae cum ita sint, omnis cardo rei in eo versatur, ut quae-  
nam circa proprietatem feudi iura vasallo competant, quatenam  
contra





contra ei desint ac denegentur, certo determinetur. Fundamentum decisionis ac principium ea cognoscendi hic ante omnia praebent singularia pacta contractui feudali adiecta, quibus iura & obligationes dominum inter & vasallum specialiter determinentur, ac eae, quae vi huius contractus praecipue ad meliorem investiturae probationem a domino concedi solent litterae investiturae a). Lege enim investiturae adiecta salva feudi essentia iura vasalli circa proprietatem, quippe quae ad naturalia feudi pertinent, aut adaugeri aut minui possunt b) secundum tritum illud: pacta dant legem contractui. At vero sicut pactum omne, ita etiam illud, quod contractui feudali adiicitur, ius tantum inter eos, qui illud inierunt, constituit, ad consequentiam autem ulterius trahi nequit, hinc reliquo vasallorum ordini neque obesse neque vltatenus prodesse poterit. Inde prono fluit alueo, litteras investiturae in indiuiduo quidem casu primum decisionis fundamentum existere, neutiquam vero eas generalem normam dici posse, secundum quam omnium Vasallorum iura circa proprietatem diiudicari possint. Leges vero feudales cum ea, quae in feudis iura, quae obligationes locum habeant, quatenus non singulari pacto singularia sunt determinata, determinent; ex iis, quatenam Vasallo pars proprietatis in feudo competat, vnice diiudicandum esse arbitror, quare meum id erit, vt eas hac de re, quantum in me est, consulam.

a) IOH. GOTTLIEB SIEGEL tr. de litteris investiturarum.

b) Hinc inde oritur celebris illa nonnullis ICtis vsitata distinctio pactorum feudi naturam vel augmentum vel minuentium. Reicere eam non dubitat THOMASIVS in diss. de feudis oblati C. I. §. 40. & MOELLER in Vfu pr. Diss. feud. Cap. III. D. 2.





## §. 4.

DVPLEX POTISSIMUM EST RESTRICTIO PROPRIETATIS  
VASALLORVM LEGE FEVDALI FACTA.

Duplici autem potissimum ratione proprietatem, quae Vasallo in feudis competit, circumfiniri, leges feudales perlustranti statim in oculos incurret. Aliae enim proprietatis partes plane Vasallo sunt interdictae, ita ut eas nullo modo sibi arrogandi ius vindicare, aut actum exercere possit, qui hanc proprietatis partem vi legis ademptam supponit, nisi dominus directus specialem ea de re veniam Vasallo indulerit, eique ius lege ademptum sua sponte concesserit. Itaque sac vasallum neglecta hac legum prohibitione actum suscipere, quo ius proprietatis lege interdictum exercet; certe actus ille, dum legibus perfectis absolutis repugnat, nullitate laborat absoluta, neque ullam vim exferere potest; aequae ac de Iure Civili testamentum, in quo filius suus praeteritus est a patre, nullum est & ab omni vi destituitur. Hanc quidem restrictionem proprietatis nonnunquam adeo poenalem esse, ipsae Leges docent; qua specie existente praeter nullitatem actus poena etiam, quam lex minitata est, sequitur. Alia autem iura, quae proprietati insunt, non lege adempta plane sunt vasallo, ast tamen ratione effectuum magna haec restrictio adest, ut scilicet soli vasallo non domino directo inde vlla nascatur obligatio. Itaque vasallus non prohibetur, quo actum minus suscipiat, potius ipse ex eo validam recipit obligationem, & pactum cum tertio forsitan initum ratione pacifcentium valide subsistet; quatenus autem iuribus domini directi vllatenus praeiudicium eo inferitur, eatenus actus ipse erit invalidus. Hinc inde satis superque apparet, proprietatis in feudo partes alias non quoad ius, tantum quoad exercitium Iuris esse re-

B

strictas,





strictas, alias vero etiam quoad ipsum ius Vasallo ademptas esse a). Quibus suppositis haud difficile est intellectu, quod, qui de singulis actibus, quibus Vasallus de substantia feudi disponit, recte iudicare vult, quatenus ad illicitos aut licitos ad plane validos aut certa ratione inuálidos referendi sint, quod, inquam, ad restrictionem lege stabilitam attendere debeat, scilicet, num plane eos suscipere Vasallus prohibeatur, an tantum non cum plenario effectu eos celebrare ei permíssum sit. Ego vero longe ab instituti mei ratione aberrarem, si de cunctis hisce, quae hic occurrunt speciebus, pluribus agerem; sufficet mihi, ut quae ad doctrinam de oppignoratione feudorum eo facilius explanandam facere mihi visa sunt, de restricta Vasalli in feudo proprietate praemiserm; potius meas hasce esse iamiam partes autumo, ut haec ad ipsam feudorum oppignorationem applicare periculum faciam.

a) Eleganter ac docte haec exposuit Illustris BÖHMERS in Principiis Iuris Feudalis Lib. I. Sect. II. Cap. IV. §. 253.

§. 5.

TRANSITVS AD MATERIAM DE PROHIBITA FEVDORVM  
ALIENATIONE.

Inter ea nempe, quae proprietati seu facultati de substantia rei pro arbitrio disponendi, insunt iura potissimum illud eminet, ut rem tibi propriam non solum tibi seruare, sed eam quoque in alium transferre queas, vel eo consilio, ut dominium eius rei, quod penes te existit, ad eum transeat, seu etiam, ut propter creditum aliquod, cuius causa alter securus existere concupiscit, rem tuam possideat, donec a te obligationi tuae fuerit satisfactum; ne multa, ut iure gaudeas rem tibi propriam vel alienandi vel etiam alteri pignoris





gnoris nomine tradendi. At vero, si vllum ius, quod proprietati inest, Vafallorum restrictum iisque interdictum est, certè illud de alienatione & oppignoratione dicendum est; de cuius quidem prohibitione consuetudines feudorum Longobardicae cum illis, quae in Germania secundum privatas collectiones consuetudinum & decisionum feudaliū obtinuerunt, certa ratione inter se conueniunt.

## §. 6.

SANCITA I. F. LONGOBARDICI DE ALIENATIONE  
FEVDORVM.

Quod quidem ad Ius Feudale Longobardicum attinet, non eandem semper eius circa feudorum alienationem existisse prohibitionem, adeoque in curiis feudaliū non eandem obtinuisse de ea consuetudinem, vno plura capitula collectionis harum consuetudinum edocent a). Mediolanenses enim clientulis alienationem totius feudi inconsulto domino directo deberi affirmarunt; aliis contra assertum illud irrationabile, vti Compilerator consuetudinum feudaliū testatur, visum est b). Illud tamen ex capitulis Iuris Longobardiçi satis luculenter apparet, quod vafallus quondam non infcio solum verum etiam inuito domino partem feudi in alium titulo alienationis, altera scilicet sibi retenta, iure suo transferre potuerit c), quam vero partem feudi alienabilem ex plurimarum feudaliū curiarum consuetudine ad feudi dimidietatem fuisse restrictam, ex verbis capituli I F. 13. colligere liceat; vbi ita; *»si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, id est medium.«* Et paulo post, *»ulterius (i. e. ultra partem feudi dimidiam) progredi non potest.* Haec quidem rei facies existit vsque ad tempora LOTHARII IMPERATORIS, cui quidem visum est, lege, quam in perpetuum





valere iubet, speciali d) omnem beneficiorum, quae clientes sine vasalli a senioribus suis tenerent, alienationem sine horum venia ac permissione prohibere ac interdicere; cuius factae prohibitionis rationes ipse Imperator in principio Constitutionis haece quidem exponit, ne alienatione beneficiorum clientes subsidiis omnibus, quae ad praestationem seruitiorum illis essent necessaria, prorsus exuti seruitia debita senioribus subterfugere inciperent, sicque maximum domino feudi simulque Imperio praeiudicium non posset non inferri, ac ea ratione finis, propter quem feuda a domino vasallis data sunt, primarius omnino corrueret. Cum vero post tractum temporis varii a Vasallis feudum alienaturis contractus in fraudem Constitutionis huius excogitati fuissent, noua quaedam, ut in posterum omnis plane collusio auerteretur, eiusdem legis repetitio facta est ab IMPERATORE FRIDERICO, qui quidem sua lege, quam ad praeteritos adeo casus applicari iubet (*Lotharius enim Imperator suam duntaxat ad futuros applicari iussit*) omnem distractionem ac alienationem feudorum & quoad totum & etiam pro parte sine permissione illius domini, a quo feudum alienandum recognoscitur, vasallis interdixit, qualicumque demum ea appellaretur nomine, & quocumque actu siue inter viuos siue mortis causa haec perficeretur distractio e). Itaque vi utriusque harum Constitutionum regula Iuris Longobardici (quae etiam hodie caste seruatur) est stabilita, quod non liceat Vasallis infcio domino feuda alienare, potius quod domini consensus & autoritas requiratur, qua demum accedente ius Vasallo imperari possit alienationem feudi faciendi. Dubio hinc omni caret, quin prohibitio alienationis inter feudorum naturalia de Iure Longobardico referri debeat f).

a) II F. 9. II F. 44.

b) I F. 13.





- b) I F. 13. pr. Qua mente Compilerator consuetudinem Mediolanensium irrationalem appellauerit, fufus disquirir THOMASIVS in diff. de causis prohibita alienationis feudi §. VII.
- c) II F. 9. pr. II F. 24. §. illud enim. II F. 44.
- d) II F. 52.
- e) II F. 55.
- f) Quare feuda alienabilia, de quibus THOMASIVS in speciali Commentatione de feudo alienabili egit, ceteri debent instar feudorum a communi natura recedentium. Non vero ea Longobardis fuisse incognita edoce capitulum II F. 48. Feuda Lufatica vt & Silesiaca esse alienabilia docent GERHARD de alienatione feudorum Silesiae et LVDWIG indifferentis Iuris feudalis Communis & Lufatici. diff. 16. 19. 20.

## §. 7.

ENUNCIATA IVRIS FEVDALIS GERMANICI DE  
ALIENATIONE FEVDORVM.

Hanc quoque Iuris Longobardici regulam secundum mores antiquos Germanorum, si non plane eadem, certa tamen ratione obtinuisse, ex collectionibus consuetudinum Germanicarum quoad negotia feudalia haud difficile probari poterit. Ita enim, dum Ius Francicum Feudorum, vulgo *Kayser-Recht* dictum, intueris, eius Capitulum vigesimum septimum enunciat, non licere Vafallo feudum, quo praeditus est, vendere sine consensu Imperatoris tanquam domini. Ipsa capituli verba adiicere liceat; *Ein iclich man fall wißin der lehen hat wel he daz verkouffen daz muß he thun met dez Keyfers hand.* Cuius quidem asserti ratio simul haec adiicitur, propterea quod iuris est indubii, Vafallum omne illud, quod alteri in beneficio concedere velit, sine consensu Imperatoris non debere nec posse largiri; quae quidem capituli verba ad diuersas alienationum species trahenda esse, coniecturare mihi liceat. Eadem





regula denuo in sequenti capitulo vigesimo octavo stabilita legitur, vi cuius Imperator, vt Vafallus necessariam feudi alienationem suscipiat, haud denegaturus esse dicitur, adiecta tamen conditione, vt consensus ipsius requiratur & negotio accedat; quod quidem verba innuunt; *So mag he ez met des Keyfers wisin verkouffen.* a) Hisce etiam respondent tradita in Iure Feudali Alemannico, quo quidem domini consensus in omnem feudi alienationem adeo necessarius describitur, vt dominus facta iam alienatione eum denegare iure nullo prohibeatur. b) Clarius autem eodem in Iure c) eadem dispositio repetita legitur sequentibus verbis; *Niemana mag sin lehen verkouffen one sins herren hant das es Kraft habe*; potius domino ibi ius tribuitur vasallo redemptionem intra certum tempus faciendam iniungendi. Neque vero reliqua Iura Germaniae vetera ab hac regula recedunt, potius iis hanc confirmari certissimum est. Quod quo melius appareat adducere tantum lubet, quae Ius feudale Bavaricum d) hac de re sanxit. Alienationem enim feudi inter viuos fieri posse domino consentiente inuitis heredibus affirmat, mortis causa plane non, nisi etiam praeter domini consensus autoritas heredum accedat. Sufficiant mihi haec, quae adduxi, capitula Iuris Veteris Germanici, ex quibus haud incongrue apparere videtur vsus ille antiquus prohibita apud Germanos alienationis feudorum, ita vt dispositionem Iuris Feudalis Longobardici, de qua in spha antecedenti egimus, ex moribus Germanorum quodammodo obtinuisse suo iure contendat THOMASIVS in *Comm. de feudo alienabili* §. 4. 5.

a) Vid. Corpus Iuris Feudalis Germanici Senckenbergianum, pg. 16-17

b) Ius Feudale Alemannicum Cap. XXI. (edit. Senckenberg. pg. 34)

c) I. F. A. c. 26. §. 23. (ibid. pg. 35)

d) Ius Feudale Bavaricum cap. 194.





## §. 8.

PROHIBITAE FEVDORVM ALIENATIONI SIMILIS HABETVR  
TRADITIO FEVDORVM IN PIGNVS.

Huic autem alienationi, quam de Iure Feudali tam veteri Germanico quam Longobardico & olim & nouiori legi restrictam fuisse, hucusque euincere studui, vtroque in Iure traditio feudorum in pignus, de qua mihi hoc loco sermo est, aequiparatur similisque habita est. Generalem quandam thesin ponit II. F. 8. §. 2, scilicet nec pignus, quod consultum dicitur, a) fieri posse ex feudo, licet tamen alii textus feudales hanc thesin eo limitandam esse suadeant, vt, sicuti ante tempora Lotharii Imperatoris alienatio feudorum pro parte inscio domino fuit permessa, ita etiam oppignoratio beneficiorum vsque ad dimidietatem vasallo fuerit haud interdicta. Tunc enim demum vasallum beneficii amissione multari, cum feudum pro pignore plus medietate obligauerit, ex capitulo I F. 5. addiscimus. Quaecunque vero conditio prohibita feudorum oppignoracionis ante tempora Constitutionum LOTHARII & FRIDERICI Imperatorum existit, de Iure nouiori tamen vi harum Constitutionum b) omnem plane beneficiorum in pignus traditionem Vasallis interdictam esse sine consensu domini nemo inficias ire poterit. Ita enim FRIDERICVS Imperator, „Sancimus, inquit, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere vel pignorare vel quocunque modo distrahere, seu alienare, vel pro „anima iudicare sine permissione domini illius, ad quem feudum spectare „dignoscitur.„ Iamiam ergo feudum siue totum siue pro parte dimidia aut maiori aut minori oppignoratum fuerit, ipsa traditio feudi in pignus nunquam non erit illicita, adeoque post se trahit gravem illam poenam amissionis feudi, de qua in Sectione 2da pluribus differendi locus mihi erit. Pariquoque ratione secundum veterum





terum Germanorum consuetudines feudales restrictionem alienationis feudorum simul ad traditionem horum in pignus extensam esse et applicatam, vtriusque Iuris inter se comparatio luculenter fatis edocet. Ne enim feuda oppignorata de manu in manum transferent, & forte legitimis heredibus subtraherentur, sancitum esse dicitur in Jure feudali Francico c), quod feudum nullo modo possit oppignorari ea ratione, vt in alium transeat. Pariter in Jure feudali Alemannico d) generalis posita est regula; *Niemand mag sin lehen versetzen one sinen Herren hant*; eademque vno pluribus locis repetita legitur, ita vt nulla valida dicatur esse oppignoratio, nisi dominus in eam consenserit; potius ea de facto suscepta a Jure aberrare perhibeatur e).

a) Vocabulum, consultum, quid sibi in hoc textu velit, id anxios admodum habet Doctores Iuris Feudalis. Recte autem, cum haec vox, vt iacet, nullum habeat sensum, coniecturare mihi videtur THOMASIVS in Selectis Thomasiis Feudalibus Tom. II. pag. 186, quod legendum sit; constitutum; pignus autem constitutum idem ei esse videtur, quod pignus alteri traditum. Eodem loco eleganter quoque exposuit, quid in textu I F. 5. pignus ita a Vasallo datum, vt transcriptum permittat, significet.

b) II F. 52. II F. 55.

c) Ius feudale Francicum cap. 23.

d) Ius feudale Alemannicum cap. 26. §. 13.

e) Ius feudale Alemannicum cap. 100. §. 2., id. I. F. A. cap. 155 §. 1.

### §. 9.

QVAESTIO, NUM ET QVATENVS CAPITVLA I. F. L.  
II F. 52. 55. RECEPTA SINT, INANIS EST.

Quae cum ita sint, eatenus non adeo magnus erit vsus quaestionis ab ICTIS nonnullis motae, num Constitutiones LOTHARII  
&





& FRIDERICI Imperatorum de 'prohibita in pignus traditione feudorum in Germania vsum habeant, 'an minus. Cum enim ex reliquiis veterum Iurium Germanicorum satis superque deductum est, oppignorationem beneficiorum Vasallis fuisse interdictam, nihilo tamen secius, fac etiam eas non receptas esse in Germania, regula manebit salua, quod in scio domino Vasallis non liceat valide oppignorare feuda. At vero nulla ratio subesse videtur, quare de ipsarum Constitutionum vsu & autoritate in Germania dubitare-mus. Licet enim ego sententiam eorum ICtorum, qui omnes ab Imperatoribus quondam, praesertim eas in campis Roncalicis latas Constitutiones tanquam originarias leges Germanos obligare defendunt, meam facere, indeque ad autoritatem nostrorum textuum per Germaniam argumentum trahere non audeam a): certe tamen, cum consuetudines Longobardicae in negotiis feudalibus apud nos indubitato fuerint receptae, quatenus non singularia instituta Longobardorum, inprimis vero formam Imperii Longobardici & nexum Vasallorum cum Rege suo specialem respiciunt b), summa sane aderit praesumptio pro horum textuum apud nos autoritate. Nulla enim ratio adest adaequata, propter quam feuda Germanica hunc morem Longobardorum, vi cuius oppignorari aut alienari non debent, respuerent; hinc quare de eorum textuum in Germania vsu velis dubitare non video. Sed non est, quod soli praesumptioni hic incumbamus, certo enim ex diplomatis medii aevi de vsu consuetudinum Longobardicarum quoad alienationes feudorum per Germaniam constat. Ita ex diplomate anni MCCXC, quod SCHATENIUS in *Annalibus Paderbornensibus* c) seruare studuit, manifesto asserti huius veritas appareat. RVDOLPHVS enim HABSPVRGICVS Imperator, in causa ABBATIS WERTHENENSIS tunc iamiam temporis sententiam hanc tulit





tulit „quod feuda sine domini consensu alienata ad manus domini deo-  
man tur.“ Huic denique medii aevi testimonio hodie & commu-  
nis ICtorum opinio & fori nostri vsus accurate respondent ; quare  
plura adiicere nolo d).

a) Quae ab Imperatoribus latae sunt leges , propter duplicem , quam ii susti-  
nuerunt , personam , duplicem etiam admittunt respectum . Etenim profi-  
ciscuntur ab iis vel tanquam Imperatoribus seu tanquam Regibus Italiae .  
Illae Germanos originarie obligant , hae vero nullatenus , nisi sint rece-  
ptae . Posteriori autem speciei cum nostra capitula accenseri debeant , quid  
de iis dicendum sit , per se patet . At vero latas eas esse constitutiones obii-  
ciunt in campis Roncalicis , vbi , vti ex Historicorum monumentis constat , &  
Italorum & etiam Germanorum propter celebrem expeditionem Romanam  
fuit conuentus ! — Sed Germani ibi conuenerunt non comitiorum ha-  
bendarum aut legum ferendarum causa , tantum eo consilio , vt expedi-  
tionis futurae causa lustrarentur — . Haec & plures rationes acute pro-  
posuit cognatus mihi dilectissimus CHRISTIAN VALENTIN MANZEL  
in diss. sub Praesidio Professoris Beckeri habita , *de iure minorum circa  
retractum feudalem a tutore neglectum* S. II. C. I. §. 27 — 31 .

b) Huic refero inter alios textus capitulum II F. 56. quatenam sint regalia.

c) P. II. pag. 169.

§. IO.

RATIO , PROPTER QVAM PROHIBITA AEQVE EST OPPIGNO-  
RATIO FEVDORVM AC EORVM ALIENATIO,  
EXPONITVE.

Itaque haud a veritate aberrare ego mihi videor , si de iure  
communi , quod circa feuda obtinet per Germaniam , generalem  
suppono regulam , quod non liceat Vasallo oppignorare feudum  
neque totum neque pro parte sine consensu domini directi . Neque  
difficile esse arbitror , diuinare rationes , propter quas oppignorandi

di





di ius aequae ac illud alienandi Vasallis lege sit ademptum. Licet enim oppignoratione non idem praecudicium domino nasci videatur, quod alienatione, siquidem primo haec ipsum feudi dominum utile in alium transfert argumento l. 1. C. de fundo dotali, oppignoratione autem possessio feudi tantum naturalis ratione dominii ad Creditorem pignoratitium peruenit; dein vero alienatione domino inuito nouus obtruditur vasallus, cuius fides domino non est explorata, oppignoratione facta autem nexus, qui Vasallum inter & dominum feudi substitit, saluus manet ac illaesus; certe tamen, quod ex alienatione feudi domino statim nascitur praecudicium, idem facta oppignoratione quamprimum ei imminet. Dum enim oppignorando feudum Vasallus possessor feudi esse desinit, in Creditorem vero huius possessio transfertur; domini directi conditio, si velit feudum ad se pertinens iamiam reperere, omnino eo euadit deterior, quod a tertio possessore rem sibi propriam demum vindicare cogatur. Implicatur litibus propter rem, quae iure proprietatis ad eum pertinet, & feudi recuperatio a tertio possessore ei difficilior multo redditur, quam si ipse Vasallus feudi possessor permanisset. Nostram vero conditionem nobis inuitis deteriorem vllatenus fieri posse, nulla vnquam lex iussit, omnique aequitati repugnat. Quid ergo aequius esse potuit, quam dominorum commodis prohibitione omnimoda traditionis feudorum in pignus iis inuicis ac inuitis lege prohiberi? Quibus quidem nouum illud accedit argumentum, quod, si feudum pignori a Vasallo traditur domino inconsulto, facili negotio illud euenire possit, vt, num res pignori accepta feudalis sit nec ne, incertum esse incipiat, praesertim si oppignoratio feudi per longa tempora durauerit. Indeque forsitan fieri posset, vt dominus probationem suscipere non valeat, hanc rem esse feudalem,





eaque ratione rei suae iacturam faciat inuitus. Quid? quod euenire potest, ut vassallus dolo malo rem feudalem tanquam rem allodiam alii oppignoret, hincque eam bona fide instar rei allodialis accipiat, ac per tempora, quae ad praescriptionem feudorum requiruntur, sibi retineat possideatque; nonne tunc dominum rem suam vindicantem exceptione praescriptionis poterit repellere, suumque ius pignoris in re actu feudali tueri in domini directi praecudium? Denique in legibus oppignoratio via ad alienandum appellatur, neque in consuetum est, quod, qui eo redactus est, ut rem suam pignori tradat, saepiuscule, quo minus de reuisione pignoris cogitare possit, indigentia impediatur, & hac ratione rei suae iacturam facere debeat, si quidem Creditor, ut ex re pignori obligata sibi satisfiat, iure suo uti potest. Quid inde facilius emerget, quam ut feudi oppignoratio degeneret post tractum temporis in alienationem, sicque domino ex post illud gignatur damnum, quod ab initio ab oppignoratione longe abesse apparebat. Tot tantaeque existunt rationes, propter quas ad exemplum legum Romanarum civilium, quae quidem ex voluntate Iustiniani a) faciunt, quod, quacunq; dispositione vel legis uel hominum alienatio interdicatur, semper sub hac prohibitione pignoris datio contenta esse debeat. Rationes istae, quas de prohibita feudorum oppignoratione adduxi, adaequatas esse & veras arbitror, licet alii Doctores aliam adhuc innuere videantur, quippe qui hanc stabilire amant thesin, quod de Iure Germanico antiquo omne pignus dominium in Creditorem transtulerit, ideoque omnis in pignus datio alienationi & dominii translationi aequipolluerit, hac tantum intercedente differentia, quod hic pactum de retrouendendo tacitum subsuerit, ibi vero non, nisi expresse adiectum, locum habeat. At vero, si etiam illud largiturus essem, quod in Iure Feudali Longobar-





gobardico, dum de oppignoratione sermo est, ad definitionem Iure Germanico stabilitam, non vero ad eam, qualis de Iure Romano est, respiciatur, non est, quod dissimulem, thesin illam de translato dominio pignoris in Creditorem maxime mihi esse suspectam, quare neque consequentiis inde deducendis calculum adii- cere audeo. Nec dubito fore plerosque, qui idem mecum senti- ant, dum euoluere illis placet Scriptum illud pereruditum CELE- BERRIMI RICCI, quod edidit sub titulo; *Doctrinae de dominio pignoris Germanici in Creditorem translato examen polemicum*. In hac enim eleganter conscripta Commentatione thesin illam tam ex le- gibus veterum Germanorum quam ex nouioribus statutis vt & secundum diplomata oppignorationum solide esse refutatam, re- perient.

a) l. 7. C. de rebus alienis non alienandis.

b) Ita inter alios sentiunt Viri magni alias nominis, THOMASIVS de cau- sis prohibita alienationis feudi §. 13. I. H. BÖHMERS in diss. de diuerso Iure hypothecae & pignoris Cap. II. §. 6.

### §. II.

OPPIGNORATIO, DE QVA IN CONSTITVTIONE FRIDERICI  
SERMO EST, TRADITIONEM FEVDORVM IN PIGNVS  
INVOLVIT.

Quaecunq; demum oppignorationis feudorum prohibitaee existat ratio, certe tamen eam Iure feudali Vasallis esse interdictam luculenter apparet. Nulli enim liceat feudum vel partem aliquam pignorare. At vero, de quali oppignoratione Friderico Imperatori in hac Constitutione sermo est? Ego quidem non dubito, quin contendam, supponi hic debere actum, quo feudum in securita- tem creditio Vasallo Creditori traditur, indeque traditionem feu- di





di in pignus a Legislatore subintelligi. In omnibus enim capitulis Iuris Feudalis, in quibus alienatio feudorum Vasallis interdicitur & alienationi prohibita oppignoratio equiparatur similisque habetur, semper eiusmodi alienationem, qua dominium utile ipsum in alium transfertur, supponi animaduerto. Ita enim Imperator in textu II F. 55. dum species prohibita alienationis enumerat, inquit, *prohibitum est vendere, vel quocumque modo disstrahere seu alienare vel pro anima iudicare.* Oppignoratio itaque dum similis alienationi esse iudicatur in legibus, eamque ob causam cum hac simul prohibetur; terminis habilibus illud intelligi debere omnino per regulas hermeneuticas argumentandum erit, quatenus scilicet haec alienationi seu translationi dominii utilis in feudo respondet. Eatenus vero oppignoracionem cum alienatione conuenire pater, quod haec ipsum ius dominii utilis Vasallo hucusque competens ad alium transferat, illa vero Vasallo debitori ius dominii saluum relinquat; aut possessionem siue actuale exercitium facultatis de ipsa re quae pignoris est obiectum, quatenus securitas Crediti illud exigit disponendi, in alterum transferat. Hinc est, quod sub oppignoracione, quam Fridericus Imperator in Constitutione hac prohibuit, actum subintelligere non potuerit non, qua possessio naturalis seu corporalis detentio feudi ratione vasalli definit, (licet civilis ratione dominii penes eum remaneat), ad Creditorem vero naturalis possessio defertur, licet non cum iure dominii sit coniuncta. Eiusmodi autem possessionis translatio in alterum cum traditionem inuoluat, haud errare arbitror, si oppignoracionem, qualem lex nostra supponit, realem feudi traditionem in pignus supponere defendo. Res enim, quae pignori dantur, manu tradi oportere docet Caius in lege 238. §. 2. de V. S.; quamuis ratione immobilium illud cum grano salis accipiendum erit, siquidem earum





rum corporalis seu manu traditio fieri nequit, fictam tamen earum traditionem, verae acqui pollentem, fieri posse dubio caret.

## §. 12.

## NON VERO FACTVM DE OPPIGNORANDO IN CONSTITVTIONE NOSTRA SVBIACET.

Inde vero per consequentiam illud deducere liceat, quod, quoties traditio feudi Creditori pignoratitio nondum facta est, licet conuentio de oppignorando Vasallum inter & Creditorem iamiam interuenerit, neutiquam haec constitutio de prohibita feudi oppignoratione applicari possit. Licet enim non desint ICTi; a) qui contractum pignoratitium iis accenserent, qui nudo consensu perficiuntur, indeque hoc ipso pignus pro tradito esse habendum contendunt, quando promissio de pignore dando ab altero facta ab altero autem fuit acceptata; multum tamen horum sententiam ab ipsarum legum asserto alienam esse duco. Confundunt hi ICTi manifesto inter se, quae sedulo distinguenda essent, oppignorationem scilicet ipsam cum pacto de oppignorando, quam vero ab hoc aeque distare ac ipsum mutui contractum a pacto de mutuando quilibet facile intelligere potest. Eo autem minori dubio caret, quod pignus contractibus realibus accenseri debeat, qui non nudo consensu sed demum actuali rei traditione perficiuntur, cum ipsae leges re ipsa obligationem ex pignore contrahi doceant. b) Quae quidem eo magis attendenda esse arbitror, quo maior in decidendis quaestionibus ambiguus inde vsus colligitur. Fac enim vasallum incio domino Creditori promississe. quod feudum ei in pignus dare velit, deinde autem eum poenitere promissi facti, & ideo feudi traditionem Promissario denegare; certe nondum oppignorasse dici potest; hinc neque contra legem deliquit c), nec vero in poenam lege determinatam incurret.

§. 13.





- a) Euolvas quae ca de re menit HAHN ad WEFENBECIVM Lib. XX. T. I.  
n. 4.
- b) §. vlt. I. quibus modis re contrahitur obligatio. LAYTERBACH de pignore  
§. 6. n. 35.
- c) ROSENTHAL de feudis P. I. Cap. IX. Concluf. 3.

## §. 13.

NEQVE SVB PROHIBITIONE POENALI OPPIGNORATIONIS  
CONTINETVR HYPOTHECAE CONSTITVTIO,

Eadem quoque ratione ductus, quam in §pho antecedente II. pluribus exposui, illud mihi defendere sumo, quod nec in prohibitione poenali oppignorationis textu II. F. 55. facta hypothecae constitutio comprehendatur aut subintelligi debeat. Licet enim illud plane a me abest, vt hypothecam a Vasallo in feudo constitutam ignorantem dominum feudi directum tenere obstructum contendam, illud tamen mihi vero consentaneum esse videtur, quod ius ipsum hypothecam constituendi in feudo Vasallis lege nostra non sit ademptum, quamuis ratione exercitii non possit non ita esse restrictum, vt, si cum ipsis verbis legum loqui licet, vasallo donec feudum tenet, possit obesse, domino autem, etsi per longa tempora durauerit, minime noceat. Non nescio quidem, multos eosque admodum celebres ICTos a me dissentire, atque in sententiam a mea alienam abire, diuersa tamen non vna eademque ratione. Alii enim, siquidem in totum negant, ad hypothecam vllatenus a pignore consequentiam posse trahi, tum, quoniam vtrumque inter satis amplae intercedunt differentiae, tum vero propterea quod omne statutum strictam tantum non extensiuam admittit interpretationem; ita neque quoad feuda et speciale de iis statutum aliter quid sentiendum esse statuunt. a) Alii autem plane  
contra.





contrarium defendunt, quod scilicet, quoties de pignore sermo est, omne de eo sancitum simul ad hypothecam applicari debeat, ideoque etiam omne id, quod in capitulis Iuris Feudalis Longobardici de oppignoratione feudorum dispositum esse legitur, de hypotheca in feudo constituta simpliciter valere autumant. Sonu enim nominis non re ipsa pignus a hypotheca differre ex l. 5. §. 1. D. de pignoribus deducunt, vtrumque potius in legibus pro vno eodemque accipi ac promiscue adhiberi, neminem dubitare sciunt.

- a) Vid. quem BOEHMER in diff. de diuerso pignoris et hypothecae Iure adduxit MERLINVS de pignoribus lib. I. tit. 1. quaest. 4.

§. 14.

REGVLA PONITVR, QVATENVS A PIGNORE AD HYPOTHECAM VALEAT CONSEQUENTIA.

At vero, si ingenue dicendum est, quid ego sentiam, neutram harum sententiarum ita esse comparatam existimo, vt calculus ei adiici possit. Certe enim in multis hypotheca cum pignore conuenit, in pluribus vero a se inuicem differt. Inconueniens eam ob causam mihi esse videtur assertum, tum illud, quod nulla lex de pignore agens ad hypothecam trahi queat (trahi enim omnimode potest et debet, quatenus vtriusque natura eadem est) tum vero hoc, quod omnis ea, quae de pignore sancit, lex et constitutio ad hypothecam simul pertineat. Differunt enim inter se, licet generaliori significato pignus et hypotheca idem sint, adeo vt inconcinnum nonnunquam esset ac absurdum, ea, quae de pignore sunt sancita, ad hypothecam simul applicare. Itaque si leges Romanae propter eas, quae in rem oppignoratam factae sunt necessario ac vtiliter, impensas retentionem creditori pignoris

D

conce-





concedunt; de hypotheca sane non illa quaestio oriri potest, siquidem res, quae hypothecae est obiectum, penes debitorem permanet, eiusque possessio ad creditorem non transit; aut si leges creditori a possessione pignoris deiecto remedium spoli indulgent, neque hoc beneficium creditori hypothecario vlla ratione prodesse potest, siquidem rem non possidet, indeque deiectio illius a possessione rei locum habere non potest. Quae cum ita sint, adaequatum decisionis fundamentum hoc mihi esse videtur, ut ad ipsam mentem et rationem legum vel statuti attendas, et quatenus haec applicationem eius, quod de pignore est stabilitum, ad hypothecam admittant, sedulo inquiras. a) Proinde si ratio legis permittit ab vno ad alterum trahi posse argumentum, ipsa lex secundum praecepta hermeneutices extensivae de pignore non solo sed de hypotheca etiam erit intelligenda. E contraria autem parte, quoties quaedam differentia utrumque inter doceri potest, legislator, dum de pignore tantum locutus est, hypothecam subintelligere noluisse merito censendus est, hincque legis restrictiva interpretatio erit adhibenda. Hisce adicere non possum non, quod haec restrictiva interpretatio eo magis tunc sibi locum vindicet, quoties odiosum aliquid de alterutro dispositum esse legitur. Odiosa enim nunquam erunt extendenda.

a) BOEHMER de iure hypothecae & pignoris diversio. Cap. II. §. 27.

§. 15.

REGVLA HAEC AD CONSTITVTIONEM FRIDERICI  
IMP. APPLICATVR.

Quam vero in §pho antecedenti proposui, decidendi rationem, eam vnice adhibendam esse puto in discutienda quaestione,  
an





an et quatenus Constitutio Imperatoris FRIDERICI de oppignoratione feudi ad hypothecam in feudo constitutam pertineat? Ex mente scilicet legis ac eius ratione totam rem esse decidendam puto. Si ad hanc attendis, eam esse legislatoris intentionem cognosces, vt oppignorationem prohibeat, quae & quatenus alienationi, qua dominium ab vno ad alterum transit, equiparari potest (vid. §. II.) Hypothecae autem constitutio, quamvis sub pignore generaliter sumto comprehendatur, neque quoad dominium rei hoc nomine obligatae, neque quoad translationem possessionis ab vno ad alterum, vlllo modo alienationi similis haberi potest; debitor enim feudi hypothecae nomine obligati possessionem aequae retinet, ac eius possessor ante fuit, quam suam rem huic nexui subiecit. Obiicies quidem, hypothecam tamen ius in re securitatis causa quamvis sine translatione possessionis creditori tribuere, ideoque alienationem omnimodo inuoluere; tantum vero adest, vt illud negare audeam, vt ego potius illud ex natura cuiuslibet hypothecae necessario consequi largiar. Nulla tamen ratione illud sententiae, quam exposui, obstat, sed thesis mea nihilominus salua est. Alienatio enim, qua modo ius in re saluo nexu feudali alteri in feudo constituitur, tantum abusue, aut si maius in sensu generali hoc nomen accipit; non vero eam, potius significatum alienationis strictiorem, vi cuius continet translationem ipsius domini vtilis in alterum, in textu nostro supponi luculenter satis apparet, tum exinde, quod species alienationis, quae in nostro capitulo aliisque pluribus enumerantur, ad hanc in strictiori sensu acceptam modo referri possunt, tum vero, quod vasallus legibus non prohibetur, quo alia minus iura realia domino infcio in feudo constituat. Ita enim seruitus si a vasallo aut pretio aut dolo aut incuria feudo fuit imposta, ei donec feudum tenet, obesse dicitur in ipsa lege feuda-





li a) seruitutem vero ius in re conciliare praedio dominanti, hincque alienationem inuoluere latiori sensu talem, ipsa idea Seruitutis docet. A facultate autem lege concessa seruitutem imponendi feudo, ad hanc, obligandi hypothecae nomine feudum, nullus dubito quin argumentum valere contendam, cum vtraque idem ius efficiat tribuatque. Neque vero obstat, licet ob stare videatur, constitutio Iustiniani Imperatoris b) qua sancit si lex dominii alienationem inhibuerit, non solum dominii alienationem esse prohibendam, sed etiam vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi, minimeque seruitutes imponi licere. Neque, inquam, haec Sanctio nostrae obest sententiae; ipse enim Iustinianus adiicit hanc limitationem, „nisi in hisce tantummodo casibus constitutionum auctoritas aliquid tale fieri permiserit.“ Permitti vero tale aliquid potest a Legislatore aut expresse aut etiam tacite, ita, vt si rationem legis intueris, de tali concessione pateat. In nostra quidem Constitutione, licet expressa deficiat Legislatoris permissio de constitutione hypothecae in feudo, certe tamen tacite eam factam esse fatendum est, si intentionem Imperatoris ea ratione, qua modo deduxi, intueris. Quae cum ita sint, licet male sibi eum consulere largiar, qui in scio domino sibi a Vasallo hypothecam in feudo constitui curat (si quidem haec, quatenus in domini praedictum vergit, inualida plane est, eamque ob causam tantum Vasallo, vsque dum feudum tener, obesse potest ita, vt ab eo ex fructibus feudi creditori hypothecario satisfieri debeat) illud tamen ex suppositis deducendum esse videtur, quod hypothecae constitutio quoad ipsum ius non contineatur sub oppignoratione feudi sine permissione domini iure feudali prohibita, quare nec poenam iacturae feudi post se trahere poterit, c)





- a) II F. 8.  
b) l. 7. C. de rebus alienis non alienandis.  
c) Qua de re prolixius egit HORN in Iurisprudētia Feudali Cap. XIX. §. 3.

## §. 16.

CONSENSVS DOMINI LICITAM REDDIT FEVDORVM OPPIGNORATIONEM, EIQVE SIMILIS EST SVBSEQUENS RATIOHABITIO.

Quamvis autem feudorum in pignus traditio interdicta sit sine promissione eius, a quo recognoscuntur, domini: attamen, quin dominus directus iuri huic vnice in fauorem ipsius introducto renunciare, & per consequentiam vasallo ius ipsum indulgere queat, beneficium pignoris nexui subiiciendi, omni dubio caret, idque & analogia iuris & ipsa textus verba; *sine permissione domini*; abunde comprobant. Quoties ergo Vasallus a domino eius rei veniam petit & impetravit, toties oppignoratio facta aequae erit licita validaque ratione domini, ac ea illicita existisset, domini consensu haud impetrato. Huius autem consensus interpositio supponit, quod quaedam voluntatis declaratio a domino facta sit, se iuri suo vi legum sibi tributo in fauorem vasalli renunciare, eique feudum in pignus tradendi concedere velle. Quae quidem consensus declaratio & in quolibet casu a domino specialiter fieri potest, sicuti etiam dominus omnes feudorum oppignorationes a Vasallis faciendas in antecessum approbare poterit; pariter ac consuetudines omnes haud irrationabiles tam de Iure Romano & Canonico quam etiam in legibus Imperii generaliter esse confirmatas, singulas itaque non speciali Principum consensu niti aut indigere constat. Peti autem debet consensus domini directi, si necessitas





eum petendi adest, antequam ipsa feudi traditio creditori in pignus facta est; alias enim dominum feudi contemnere recte dicitur vafallus, ideoque a) propter hunc domini contemptum poena lege iuncta afficiendus erit. Ratihabitio tamen domini directi ex post secuta hunc habebit effectum, vt quod per se & ab initio illicitum erat ac invalidum negotium, non minus robur habeat, ac si ab initio domini consensus esset adhibitus, quippe qui dum ratihabet negotium, Iuri suo renuntiasse censendus est. Omnis enim ratihabitio de Iure nostro vim habet retroactiuam, adeo vt comparetur mandato, b) & principali consensui haud abfimilis esse dicatur; cum generaliter (ita fonant verba legis) *omnis ratihabitio prorsus retrahatur, & confirmet ea, quae ab initio subsecuta sunt* c). Quod vero sancitum Iuris Romani quare in feodalibus negotiis applicare nolis, ego quidem non video d), cum Constitutio FRIDERICI Imperatoris praecedentem consensum domini non pro forma desideret, (vti de Iure Romano veteri in nuptiis liberorum), potius ipse Collector consuetudinum Longobardicarum feudaliu non vilem esse legum Romanarum in decidendo auctoritatem, ea- que propter, ficasus emerferit, qui consuetudine feudi non fit comprehensus, absque calumnia nos hac lege scripta vti posse fateatur,

a) II. F. 24. §. 12.

b) cap. 12. de Reg. I. in 6to.

c) l. 7. C. ad §. Maced.

d) Ita nobiscum inter alios sentit ROSENTHAL de feudis Cap. IX. Conc. 28. n. 5.

e) II F. I.

§. 17.

CONSENSVS DOMINI NON EXPRESSVS REQVIRITVR,  
SUFFICIT TACITVS.

Siue vero ab initio absit, siue ex post facto modo ratihabitio-  
nis accedat consensus domini, vt ille sufficienter declaretur, tales  
domini





domini actiones requiruntur ( siue declaratio illa verbis fiat seu vero factis ) ex quibus vel directe seu immediate de eius permissione appareat, vel saltem indirecte & per consequentiam ad illam tuto argumentari possis. Taciti autem consensus eadem hic erit vis ac potestas, quae expresso iure suo tribuitur. a) Non nescio quidem, multos hic a me dissentire ICros, qui tacitum consensum domini directi haud sufficere existimant, sed expressum hic necessario requirunt, ea ratione adducti, quod, quoties magni praeiudicii actus celebratur, qualis sane est oppignoratio feudorum ratione domini directi, (quippe qua ad alienationem facile devenitur) toties huius expresso consensu opus sit, veluti de Iure nostro procuratorem, dum magni praeiudicii causae occurrunt, speciali mandato instructum esse oportet, nec ei generale sufficit b). Sed non diffiteor, rationes eorum haud tantas mihi videri, ut earum causa in eorum sententiam abirem. Generale, quod in omnium ore est, axioma iuris nostri tacito consensui eandem vim tribuit, quam expresso; neque commoda ratio doceri potest, quare vnum alteri inferiorem esse statuendum sit. Si enim de consensu tunc sufficienter constat, cum de conuenientia voluntatis vnus cum voluntate alterius non dubitari potest, quare id opus erit, ut necessario verbis seu ore prolatis seu scriptis, vel eiusmodi factis, quae directe voluntatem declarant, consensus manifestetur? quare non licebit indirecte ex factis tanquam ex argumentis legitimis consensum alterius deducere? Quid impedit, quo minus idem de consensu feudalis declaratione contendamus? Nulla certe ratione Constitutio FRIDERICI Imperatoris obstat, dum permissionem domini tantum adesse oportere requirit, neutiquam vero, qua ratione ea accedere debeat, iussit. Illud tamen lubens largior, optime sibi Vasallum consulere, qui de eo sollicitus est, ut expresse dominus in op-  
pigno-





pignorationem feudi consentiat, quo certius est, lites forsitan eo non explicite interposito ei moueri posse, quarum euentus, dum inter ICros ea de re dissensus adest, incertus admodum erit c). Facta autem, ex quibus ad consensum domini directi concludere velis, ita comparata esse debere, vt secuta ex iis duci possit consequentia, neque haec interpretationem contrariam admittant. ex supposito facile patet. Indeque ad diuersas quaestiones, quae hoc loco formari possunt, facillima erit responsio. Itaque fac dominum directum non ignorasse contractum pignoratitium, quem Vasallus de feudo cum creditore iniit, fac eum non contradixisse, licet optimam rei habuerit scientiam, nonne ex scientia hac, quam supponimus, simulque ex ipsius silentio ad consensum eius in oppignorationem argumentari poteris? Ego quidem inde non valere consequentiam arbitror. Licet enim quodammodo verum sit, quod ille, qui tacet, consentire videatur; certe tamen haec regula tunc demum obtinebit, si obligatio contradicendi tunc temporis exstitit, cum siluisti. Illud autem quod domino directo ius competit contradicendi, si de alienatione feudi certior factus est, plane liberum est; nec enim vlla lege obligatio contradicendo feudorum oppignorationem impediendi domino est imposita, nec vlli temporari illud ius adstrictum est, quare nec silentium domini etiam diuturnum argumentum poterit esse, quod consenserit. Potius, dum dominus tacet, saluo suo iure siluisse censendus est, cui quidem facto alteri vis noceri non posse certum est; pariter ac creditor hypothecarius, cum non ignorat, rem hypothecae nexui subiectam alienari, eo, quod non alienationi contradixerit, haud dici potest consensisse in alienationem; Saluo enim suo iure siluisse videtur, quod perdurare sciuit, alienatione licet peracta. d) Hisce si adiicere velis, quod quilibet magis dissentire quam consentire praesumi possit,





possit, qui, cum agi de ipsius praeiudicio intelligit, filet, eadem sane in dominum directum cadit praesumptio ob summum, quod ei ex feudorum oppignoratione nascitur praeiudicium.

- a) ROSENTHAL de feudis Cap. IX. membr. I. Conclus. 28.  
 b) Quale est argumentum illud, quod I. H. BOEHMERS in diss. de hypotheca feudali expressa Cap. I. §. 6. pluribus proposuit.  
 c) Hanc in partem accipi debere arbitror, quae in diss. de oppignoratione feudi §. 12. diseruit Celeb. HENR. HAHN, eaque mente veritas facit cum asserto STEINI in diss. de reuocatione feudi oppignorati Cap. II. §. 2. ubi, „expresse autem, inquit, consentiat (dominus directus) in oppignorationem, praesertim in praxi, regulariter necesse est.  
 d) I. 8. §. 15. quibus modis pignus vel hypotheca.

### §. 18.

CONFIRMATIO CONTRACTVS PIGNORATII DE FEVDO NON  
 OMNIS CONSENSVM DOMINI INDICAT, SED EA TANTVM,  
 QVAE A CANCELLARIA FEVDALI  
 FACTA EST.

Confirmatio autem contractus pignoratitii, si ea, qua decet, ratione petita est ac impetrata, deinceps instrumento, vti solet, obligationis adiecta, num inde ad consensum domini tuto argumentari licet? Mihi quidem ante omnia dispiciendum esse videtur, a quonam confirmatio contractus fuerit impetrata, an a Iudiciis ordinariis, an vero ab eo, cui negotia feudalia sunt commissa, quod plerumque sub nomine Cancellariae feudalis venit? Si prius obtinet, nulla ratione confirmatio contractus ad consensum domini argumentari sinet, siue Iudex, qui contractum confirmat, nomine domini directi ius dicat, siue vero ei ab alio Iurisdictio fuerit com-

E

mis-





missa. Certissimum enim est, contractus Iudici oblatos ab eo in tantum confirmari, in quantum de iure valent, hancque contractuum confirmationem ad preces paciscentium sine vlla causae cognitione aut inquisitione in bonorum, de quibus contractus initus est, qualitatem perfici solere. Quare confirmatione iudiciali nullum nouum contractui accedit robur, neque defectus Iuris suppleri potest; potius clausula saluo iure tertii, si non expresse confirmationi, prouti consuetudo fori fert, adiecta est, semper subintelligenda est, si quidem Iudex confirmatione negotii a duobus peracti tertio inuito ius suum quaesitum adimere nequit. Quae cum ita sint, nullam ego video rationem, propter quam confirmatio Iudicis, qui non nomine domini directi confirmationem peregit, huius consensum arguere eiusque iuri quaesito vllatenus nocere possit. Maiori quidem dubio videtur exposita quaestio, tunc si iudex nomine domini directi, de cuius consensu agitur, actum hunc Iurisdictionis exercuit; ipse enim dominus directus indirecte tunc confensisse videtur; sed res omnimodo salua est. Constat scilicet inter omnes, duplicem personam ab vno homine posse sustineri a) ideoque saepenumero ex diuersitate personae, quam vnus sustinet, varias collisiones existere posse. Hae vero neutiquam efficere debent, vt, quod quis vi alterius status peregit, illud ei ratione alterius noceat, adeo, vt tutor nomine pupilli, qui in ipsius praeiudicium in testamento heres est institutus, hereditatem adiens non prohibeatur, quo sibi minus querela nullitatis prospiciat. Quodsi ergo persona domini directi eaque Principis, a quo Iudicia pendent, simul coniuncta adest; sedulo a se inuicem distinguenda erunt, quae Princeps peregit, negotia tanquam dominus feudorum directus, eaque, quae ab eo tanquam summa Iurisdictione praedito proficiuntur, quippe quibus iis, quae instar domini directi tenet





net, iuribus nullum inferri potest praeiudicium. Omnis ergo confirmatio contractuum super feudis initorum a dicerariis, quae alias nomine Principis Iurisdictionem voluntariam et contentiosam exercent, facta, nomine quidem Principis tanquam Iudicis supremi nequam vero tanquam domini directi expeditur; quare, licet ea contractui nomine Principis accesserit, tamen non dici potest Princeps instar domini directi consensisse. Potius nisi velis dominum directum deterioris debere esse conditionis, quam quemcunque alium; clausula, salvo iure tertii, quae confirmationi contractus aut expresse aut tacite inest, potissimum ad eum, quippe cuius iura hic praesertim incident, trahenda est, ita ut Principi iura domini directi tacite saltem reseruata esse censei debeant b). Longe vero aliter quaestio esse decidenda videtur, si confirmatio contractus quo feudum alteri a Vasallo in pignus datur, ab ipsa Cancellaria feudali fuit petita & ab hac interposita. Illa enim tanquam Iudicium, cui negotia feudalia a Principe expedienda sunt commissa, Principis personam repraesentat tanquam domini directi, omniaque, quae ab ea expediuntur, negotia semper hanc Principis qualitatem respiciunt. Itaque, licet tunc consensus Principis ceu domini feudorum non explicite interponatur, neque vocabulum, consentire, praecise adhibeatur: ipsa tamen confirmatio argumentum sat arduum erit, ex quo ad consensum siue permissionem domini conclusionem formare possis. Nullum enim alium, uti ego mihi persuadeo, finem habere potest confirmatio a Cancellaria feudali petita, quam ut vasallus actum per se illicitum eique lege interdictum, veniam domini implorando, velit corroborare; neque aius confirmationis concessae a Iudicio feudali esse poterit scopus. BOHMER vs quidem c) subscriptionem domini directi tanquam necessariam requirit; sed, licet eam de consilio accedere largiar, ta-





men eius defectus ipsam Cancellariae feudalis confirmationem non inanem reddet. Quae enim in ea expediuntur, omnia autoritate ipsius domini fiunt, et quasi ab ipso domino directo expedita fuerint, considerari debent, d) eo magis, quo certius est, negotia feudalia, quatenus domini Iuribus obesse possunt, nunquam domino infcio ac inuito ab iis, quos Princeps Cancellariae feudali praefecit, expeditum iri, potius ad huius scientiam semper deferri ac deferenda esse, antequam de iis aliquid decernatur. Saltem Vassallus, hac confirmatione decenter petita & a Cancellaria feudali impetrata, haud dici potest ex sua parte quadam in culpa haerere, quare nec de consensu domini neglecto in eum poena lege determinata cadere potest. Itaque hac confirmatione subsecuta securus omnino esse poterit Vassallus; interim ei (cautus enim esse debet, quantopere potest) commendanda est, quam Celeb. STRYCK suppeditavit, cautela e) scilicet ut curet inseri clausulam instrumento confirmationis, quod non confirmetur solum contractus, verum etiam Princeps ceu dominus directus in oppignorationem velit consentire.

- a) HERTIUS de vno homine plures sustinente personas pluribus hanc regulam Iuris enodare periculum fecit.
- b) Eandem mecum fouet sententiam BOEHMER de hypotheca feudali expressa Cap. I. §. 5.
- c) In eadem Commentatione I. c.
- d) BRUNNEMANN in Consiliis Consil. 75. HORN in Iurispr. Feudali Cap. XIX. §. 4. WERNHER in Obs. Iuris P. II. Obs. 467.
- e) STRYCK de cautelis contractuum Sect. II. Cap. IV. §. 3.





## §. 19.

SI VNIVS FEVDI PLVRES SVNT DOMINI, OMNIVM HORVM  
CONSENSVM IMPLORARE VASALLO OPVS EST.

Quemadmodum vero a nemine dubitatur, quin consensus domini directi Vasallo oppignorare volenti maxime sit necessarius, ita etiam, si plures Vasallus habet dominos eiusdem gradus, omnium horum consensu ei opus esse certum est. Diuisione quidem post mortem domini inter heredes facta, quo plures minus dominos vasallus accipiat, expresse lege feudali cautum est, a) indeque ea ratione quaestio nostra instar Domitianaë esse videtur. Siue enim diuisio facta fuerit ita, vt dominium directum vni tanquam Prodomino assignetur, siue omnes pro indiuiso illud exercent, vna tantum omni erit casu persona, licet plures concurrant homines, cuius consensu Vasallo opus est. At vero fieri potest, vt vasallus ab initio plures dominos accipiat; tuncque, licet ab initio liberae eius fuerit voluntatis plures vnus feudi causa habere dominos, iam ex parte vasalli sit necessitatis, eos omnes agnoscere eandemque iis singulis praestare fidelitatem, quam alias vni domino Vasallus praestare teneretur. Hinc etiam feudum nec alienare nec in pignus dare poterit, nisi adhibito omnium eorum, quorum interest, dominorum consensu. *Quod enim omnes tangit, illud quoque ab omnibus approbari debet;* b) hinc nulli dominorum vnus eorum consensus fraudi esse poterit ac praeiudicio. Haud tamen illud negligendum esse videtur, vt distinguas, c) num *pro diuiso* an *pro indiuiso* dominium feudi directum exercent. Si enim *illud*, oppignoratio feudi pro ea parte facta, quae ad dominum consentientem pertinet, huius intuitu valida erit ac licita, totum vero si oppignoratur, oppignoratio intuitu non consentientium nulla erit ac





illicita, pro ea parte autem, quae ad dominum consentientem spectat, valida est & subsistit. E contraria autem parte, si pro indiviso dominium directum a pluribus exercetur, omnium quidem consensus a Vasallo implorari debet; attamen, si inter se plures hi condomini dissentiant, ita ut altera pars oppignorandi veniam velit indulgere, altera autem eam denegari oportere urgeat; quid tunc obtinere inter eos debeat, dubia esse videtur quaestio. Id quidem omni plane dubio caret, quod, si specialis norma decidendi inter plures, qui pro indiviso tenent dominium directum, est recepta, haec ante omnia attendi debeat; qua vero non existente, quid dicendum erit? Diceres forsitan, maiora tunc vota totum negotium conficere debere, secundum tritum illud Iuris brocardicum; *quod maior pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint* d). At vero regula haec Iuris tunc demum obtinere potest, quoties de regulari & destinato usu rei inter plures communis agitur. Contra autem, quoties res non adhibetur ad eum, qui est rei ordinarius, usum, sed eius ad irregularem usum destinatio ab uno fit altero dissentiente e) leges prohibentium conditionem meliorem existere voluerunt, f) adeo, ut non solum contradicendo actum, qui subest, impedire plane possint, verum etiam, si de facto a reliquis fuit susceptus, omne illud, quod innovatum est, denuo tolli debeat g). Quae Principia Iuris generalia ad nostram speciem si velis applicare, mihi quidem, dum plures condomini de concedenda oppignoracione feudi dissentiant, prohibentium conditio melior omnino esse debere videtur. Certe enim traditio feudi in pignus non dici potest usus regularis ac destinatus rei beneficiario nexui subiectae; potius manifesto haec a mente eius, qui feudum constituit, aberrat; indeque, cum specialia Iuris Feudalis sancita desunt, propter ea, quae





quae Ius Ciuile praebet, dicendum est, contradictione vnius condomini oppignorationem non solum impediri, sed adeo eam contradictione neglecta factam denuo tolli debere.

- a) Praesertim Constitutione FRIDERICI Imp. II. F. 55. §. 2. cuius quidem haec ratio esse videtur, ne damnum inde nascatur vafallo ratione seruitiorum quorum quantitas, si plures vno accipit dominos, in magis excreferet, quam si vni domino fidelitatem praestare tenetur.
- b) c. 29. de Reg. I. in 6to.
- c) Legi hic merentur, quae latius deduxerunt CASP. ACHAT. BECK de consensu feudali §. 13. et HAHN in diff. de oppignoratione feudali §. 12.
- d) Argumento l. 19. D. ad municipalem.
- e) LEYSER Medit. ad Dig. Spec. 118. med. 6.
- f) l. 24. comm. diuidundo. l. 11. de seruit. P. R.
- g) l. 26. comm. diuidundo.

§. 21.

IN SVBFEVDIS CONSENSVS SVBDOMINI AD OPPIGNORATIONEM SVFFICIT.

Praeterea, cum magna admodum subfeudorum in Germania nostra existat multitudo, non inutilis erit quaestio, cuius domini consensus a subuafalle implorari debeat, num eius, quem dominum feudi proximum, seu immediatum, seu subdominum, appellare solent, an istius, qui sub nomine superioris, remoti, ac mediati domini venit? Etsi non nescio, cohortem Ictorum in decidendo hanc quaestionem valde esse diuisam, singularibus tamen eorum opinionibus sepositis tum ex ipso nexu, qui subuafallum inter & subdominum in subfeudis locum habet, tum ex ipsa Constitutione Friderici Imperatoris decisio optime mihi perenda esse videtur.





detur. Suppono scilicet id, de quo dubitari nequit, quod nempe subuafallus a subdomino feudum, quo inuestitus est, vnice acceperit, hinc quoque ab eo illud recognoscere teneatur, aut si maui cum lege loqui, quod ad subdominum feudum subuafalli spectet. Quare licet non inficias ire audeam, quod ex nexu feudali ac subordinationis, quo subdominium obstrictum est domino feudi superiori, huic quaedam nascantur iura ac ex parte subuafalli obligationes, inter quas potissimum haec referenda est, ne subuafallus dominium superiorem vilo modo sub poena iacturae feudi laedat a); attamen si a hisce ex nexu subordinationis descendentibus specialibus iuribus discesseris, subuafallus proprie tantum est & dici potest vafallus subdomini non vero superioris feudorum domini, ita vt illi non huic seruitia sua praestet, nisi forsan seruitiorum domino mediato praestandorum causa a subdomino fuerit euocatus. Adeoque ipsae leges iura domini directi subuafallo non denegant, eminent potius ei tribuunt ius, vt feudum a subuafallo commissum ad eum pertineat ac reuertatur. b) Hinc inde eadem iura easdemque obligationes, quae intuitu feudi dominum inter & vafallum obtinent, etiam subdomini & subuafalli inter se esse oportet. Quibus suppositis nil tam naturale mihi esse videtur, quam vt omne id, quod de consensu domini in oppignorationem feudi constitutum legitur, eadem ratione de subfeudorum traditione in pignus intelligi debeat, ita vt consensus subdomini, quippe a quo subuafallus subfeudum recognoscit, subuafallo necessarius sit. Quae quidem hucusque exposita non adeo inconcinne ex ipsis Constitutionis FRIDERICI Imperatoris verbis deduci posse videntur. Imperator enim, quem superiorem omnium Italiae feudorum dominum existisse nemo inficiabitur, querimoniis Principum Italiae nexu vafallitico ipsi addictorum se obrutum esse conqueritur, quod





vasalli ab iis tanquam senioribus suis feuda tenentes dominis inconsultis feuda pignori darent, adeoque alienarent. Equis in hac Constitutione subvasallos supponi negabit, de quibus subdomini apud Imperatorem conquesti erant? Ast audiamus sanctionem, quam Imperator in odium subvasallorum querimoniis subdominorum adductus fecit. Sanxit enim lege in aeternum valitura, ut nulli liceat feudum vel totum vel partem pignori dare sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur. Quae quidem legis verba manifesto subvasallis obligationem a subdominis suis consensum in oppignorationem feudorum petendi imponere videntur, nisi forsitan dubitare velis, quin subdominus ille sit, ad quem subfeudum proxime spectare dignoscitur. Quae cum ita sint, non possum, quin ab iis dissentiam, qui tantum a domino superiore petendum esse subvasallo consensum vrgent, eumque subdomini plane excludunt. Superioris enim domini consensu quare opus erit, cum nullum ei ex subfeudi oppignoratione oriatur praeciudicium? Quodsi oppignoratione feudi facta etiam ad alienationem res, uti fieri potest, deduceretur, nexus tamen feudalis dominum inter & Vasallum existens non tollitur, tantum novus subdomino Vasallus constituitur. Eoque magis illud verum est, si tecum perpendis, nexum subfeudi, feudo ad dominum reuerso, omnem plane exstingui, (per brocardicum illud notissimum, quod resolutio iure constituentis resoluatur quoque ius accipientis,) hinc nexu subfeudi exstincto etiam ius pignoris non posse non exstingui c). Veluti in agro vectigali ea lege concessa, ut ille vectigali non soluto ad dominum rediret, si pignori datus est, hoc ius pignoris tunc, cum dominus ob moram debitoris iure suo vitur, euanuisse in lege dicitur d). At vero inde cautela fuit creditori, cui subfeudum oppignoratur, ut sollicitus sit de impe-

F

tran-





trando, si fieri potest, domini superioris consensu, ne subfeudo aliquando finito, pignoris nexus intereat, sed ex consensu in oppignorationem obligatio ad ipsum dominum superiorem transeat. De reliquo autem, quod domini superioris consensus in traditionem feudorum in pignus neque de Iuris necessitate sit neque etiam de praxi nostra requiri soleat, de eo optime testatur praxis Imperii nostri Romano-Germanici. Inauditum enim est, quod Electorum Principumque Vasalli, quos intuitu Imperii & Imperatoris subvasallos existere certum est, unquam oppignorationis feudorum causa alibi consensum petierint, quam in Cancellaria feudali eorum, a quibus feuda sua recognoscunt, dominorum; numquam vero Imperatoris consensum requisitum esse aut requiri auiduimus f).

a) II. F. 55. §. 4.

b) II. F. 55. §. 2.

c) argum. I F. 4. §. 6. STRVV Syntagm. Iur. F. Cap. XII. aphorism. 13.

d) l. 31. D. de pignoribus.

e) Quoties enim de consensu domini superioris aut vero constat aut praesumpto, qualis v. c. adesse praesumitur quoad res subinfeudari solitas: toties subinfeudatio facta in domini superioris praesudicium erit valida.

f) Copiose hanc quaestionem pertractavit ROSENTHAL de feudis Cap. IX. membr. I. Conclus. 32.

§. 22.

CONSENSVS DOMINI, SICVTI LIBER ESSE DEBET, ITA VOLUNTARIVS EST NON NECESSARIVS.

Quemadmodum autem omnis consensus liber esse debet ita, vt omnis plane ab eo vis metus atque coactio absit, a) illud etiam de





de consensu domini in oppignorationem feudorum afferendum est. Quicquid per generalia principia Iurisprudentiae consensui obest, illud etiam consensui feudali non potest non obesse. Itaque absint a parte vassalli omnes fallaciae, concussiones, & omnes omnino malae artes, quibus dominus adduci potuit debuitque, ut voluntatem suam aliter determinaret, ac eam, pessimis istis artibus a Vassallo non adhibitis, certe determinasset. Nullum autem consensus eiusmodi artificii extortus vassallo erit auxilium praesidiumque; domino potius eadem remedia denegari nequeunt, quae leges contra dolo vi metuque gesta indulgent. Dependet vero a mero domini directi arbitrio, velitne consentire in oppignorationem, an malit dissentire, b) nullumque vassallo lege feudali datur remedium, quo consensus domini vlla ratione possit extorquere. Et sane aliud si obtineret, ius domini oppignorationem permittendi certe mera solemnitas esset, quae in se non esset necessaria; preces potius propter consensus domino oblatae tantum honorificae quasi essent, dum eae a domino denegari non possent Vassallis. At vero cum obligatio dominorum consentiendi tantum imperfecta sit, necesse omnino erit, quo facilius dominus eo, ut consentiat, adducatur, vassallum eas, quibus ad oppignorandum compellitur, rationes domino exponere. Quibus enim a domino tanquam sufficientibus cognitis, nullum vassallo potest relinqui dubium, quin dominus, si vassallo aliter consuli non posse intelligit, negotium sit approbaturus. Non vero sufficit, vassallum domino generatim referre, quod misera sua sit conditio, quod magna necessitate ac aeris alieni multitudine prematur; sed illud necessario requiritur, ut specificè domino haec proponat; ita ut non solum edoceat, quanta sint aera aliena, quae contraxit, sed etiam de eo domino fidem faciat, quod non sua culpa sed vi factorum & casuum insolitorum ea contrahere





fuerit coactus, nullumque aliud remedium sibi consulendi videat, quam hoc, quod proponit, scilicet, vt sibi a domino permittatur certam nummorum quantitatem mutuam accipere, eiusque nomine suum feudum pignoris nexu creditori obligare. Simulque de eo cautus esse debet Vasallus, vt non proponat haec solum, verum etiam eorum si non probationem, certe tamen demonstrationem proferat, ne aliquando consensui a domino impetrato, instar rescriptorum Principis, exceptio sub & obreptionis obiici possit. Quibus vero in libello supplici a vasallo hoc expressis, non fieri potest, quin aut dominus simpliciter denegat consensum, aut certe iniungat vasallo, vt edoceat, quem in finem velit feudum in pignus alii tradere c). De ipsa vero causa oppignoracionis domino vnice iudicium relinquendum est, num eam sit grauem arduamque an vero eam talem non esse existimet. Sunt quidem nonnulli Icti, qui sibi persuadent, domino incumbere obligationem, consensum suum interponendi, tunc, cum causa a Vasallo edoceatur grauissima; sed magis in aequitate quam in analogia Iurium assertum hoc niti mihi videtur. Obligatio enim nulla domino consentiendi imposta est legibus; vbi autem nulla obligatio, ibi nec ius cogendi neque actio existere potest, quippe quantum, vt obligationi satisfiat, a debitore impetrare periculum facimus. Licet vero largiamur, obligationem domini, vt consentiat, tunc existere imperfectam, neque a domino, qui iustitiam in Vasallos colit ac exercet aliud expectari posse, quam vt votis clientum ratione oppignoracionis annuat, certum tamen est, a iure cogendi vasallum plane destitui.

a) l. 116. de Reg. Iur.

b) STRVV. in Syntagmate I. F. Cap. XIII. aphor. 12.

c) Qui quidem modus procedendi cum adeo de feudis Imperii, quibus praec

pro-





prouincialibus magna omnino praerogatiua haud denegari potest, in Iudicio Imperii aulico seruari solet, vti vno pluribus exemplis rem illustrauit PERILLVSTIS MOSERVS in der Einleitung zum Reichshofrathsproceß Tom. IV. Cap. VII. §. 25. seqq.; eo minori dubio obnoxium est, quin de feudis prouincialibus idem quoque obrineat.

## §. 23.

## CONSENSVS DOMINI STRICTI IVRIS EST.

Consensum vero a domino semel vasallo impertitum restrictiuam tantum, non extensiuam, admittere interpretationem, communis Iureconsultorum fert doctrina; vnde regula illa in omnium ore est; consensum domini strictissimi Iuris existere. Et sane regula haec Iuris rationem habere videtur sufficientem, ne scilicet liberalitas, quam dominus in Vasallum exhibuit, ei euadat damnosa ac in ipsius praeiudicium vertatur. Accedit, omnem consensum domini continere renunciationem Iuris sui; quilibet autem ex notissimo Iuris brocardico minimum sibi praeiudicasse censetur. Non potest ergo nec debet consensus domini in oppignorationem feudi vltcrius trahi, quam intentio ipsius illud fert, de qua aut explicite constare debet, aut ex argumentis idoneis concludere licebit. Itaque vasallo cauto hic ante omnia incumbet, vt sedulo inferi curet litteris consensualibus omnia, quae a domino impetrauit; alias contra eum interpretatio facienda est, quippe cuius, dum singulare hic quaerit commodum, fuisset clarius loqui. Ex iis autem, quae supposuimus, facile apparet, quod, dum consentit dominus in negotium oppignorationis, non liceat Vasallo vltcrius hic progredi aut alium de feudo contractum domino magis forsan damnosum inire. Fac vero dominum consensisse in venditionem feudi, num licebit vasallo feudum oppignorare sine nouo domini con-





sensu? Et communis fere omnium Ictorum fert opinio, quod a  
 venditione feudi permiffa non valeat consequentia ad feudi oppi-  
 gnorationem simul permiffam. Sane haec quaestionis decisio maxi-  
 me conuenit regulae, quam omnes defendunt, scilicet quod consensus  
 domini strictissimi Iuris fit; quod quidem Iuris praeceptum eo ma-  
 gis hic applicandum est, cum ex feudi oppignoratione maius do-  
 mino nasci appareat praecidium, quam ex ipsa feudi venditione.  
 Licet enim primo intuitu minus domino damnum ex traditione feu-  
 di in pignus quam ex ipsa venditione gigni videatur, certe tamen  
 maius ex illa, quam ex hac, nasci dubio caret. Venditione scili-  
 cet facta feudum nullo onere grauatur, tantum persona vassalli mu-  
 tatur, ita vt vnus alterius loco domino substituitur cliens, quo de-  
 mum mortuo feudum *sine omni onere* ad dominum peruenit ita, vt  
 vtrumque dominium, vtile nempe cum directo, consolidetur. E  
 contraria autem parte, si oppignorationem factam esse supponis,  
 feudum quoque, vassallo debitore sine heredibus mortuo, ad do-  
 minum reuertitur, *ast cum onere*, ita vt dominus debitum illud ex-  
 soluere teneatur, cuius causa feudum eo consentiente pignoris no-  
 mine fuit obligatum, de qua quidem obligatione in Sectione 2da  
 pluribus agendi locus erit. Quae cum ita sint lubens assentior  
 Doctoribus Iuris Feudalis, qui, venditione permiffa a domino, op-  
 pignorationem implicite & tacite permitti negant a).

a) Ita sentiunt; MEVIUS in Consiliis Conf. IV. n. 123. SCHRADER de feudis  
 P. VIII, Cap. IV. n. 13. ROSENTHAL de feudis C. IX. membr. l. con-  
 clus. 34.







## §. 24.

PLVRIEVS ILLVSTRATVR REGVLA IVRIS IN  
§. ANTECED. POSITA.

Quamuis vero propter ea, quae monui, extensiva interpretatio consensus a domino interpositi haud locum habeat, certe tamen, ubi maior ratio doceri potest, interpretatio comprehensiva locum habebit. Itaque oppignoratione Vasallo permiffa, nullum dubium superest, quin obligatio hypothecaria feudi, ita vt Vasallus feudi possessor maneat, ei permiffa sit, cum exinde, quod hypotheca sub pignoris nomine simul venit, tum vero, quoniam hypothecae in feudo constitutione tantum abest, vt maius domino quam oppignoratione oriatur damnum, vt potius conditio domini manifesto melior maneat. Ceterum moneo (quod fere monendum non est propter regulam generalem suppositam) vasallo accurate esse attendendum ad omnes istas, quibus dominus consensum suum restrinxit determinationes, quas varias ac multiplices esse possenemo non intelligit a). Concessio itaque domini tempori certo adstricta ultra illud tempus dominum feudi haud habebit obstrictum, nisi prorogatio quaedam aut expressa aut tacita accesserit b). Pariter si restrictio certae tantum feudi partis aut certi praedii feudalis addita est, Vasallo non licebit totum oppignorare, neque, si plura a domino tenet feuda, vnum pro altero in pignus creditori tradere. Porro si dominus vasallo concessit, vt creditori cuidam nominato feudum oppignoret, Vasallo haud facultas competit, nouo creditori illud pignoris nomine obligandi, hoc tamen supposito, vt sub persona creditoris nominati, si forsan hic moritur, heredes eius, quippe qui pro vna persona cum defuncto habentur, comprehendi debeant c). Denique etiam, si pro certo debito feudum ex  
con.





consensu domini est oppignoratum, non vitra hanc summam oppignoratio erit permilla, quod tamen eo limitandum esse censet CELEB. STRVV, vt vsurae, quatenus ex natura contractus debentur, non in summam fortis, de qua dominus consensit, impurentur, sed tamquam accessorium fortis considerari debeant d).

- a) MÖLLER vs. pr. D. F. Cap. XIX. D. 7.  
 b) STRVVEN rechtliche Bedencken. T. II. N. 96.  
 c) SCHRADER in tractatu feudali P. VIII. C. IV. §. 19.  
 d) STRVV in Syntagmate I. F. Cap. XIII. Aphor. 7.

§. 25.

CONSENSVS DOMINI PER PROCVRATOREM POTEST INTER-  
 PONI, QVI VERO CVM PRODOMINO HAVD  
 CONFVNDI DEBET.

Dominus feudi directus num ipse declaret, an per alium interponi curet, consensum suum, eadem ferè res erit, & vnice eius arbitrio permittitur. Procuratorem tamen non admitti, nisi speciali ideo instructus sit mandato, vel exinde iudicare poteris, quod declaratio consensus domini in traditionem feudorum in pignus magni momenti res est ac praecudicii, quibus in negotiis procuratori fides non haberi solet & debet, nisi specialiter instructo. Quod de procuratore autem hic contendimus, caue ne illud ad Prodominos trahas aut applicare velis. Inter vtrumque magnum sane discrimen intercedit. Conueniunt quidem in eo, quod ambo vices eius, qui dominio feudorum directo gaudet, sustineant; differunt, quod diuersa ratione huius vice fungantur. Procurator enim negotia ad dominum directum spectantia non gerit nisi ex mandato, quo haec ei specialiter fuerunt commissa; contra autem Prodominus suo, seu potius proprio iure exercet iura domi-  
 nii





nii directi ad alium pertinentis. Vno plura exempla prodominii occurrunt in iis, qui virtute Imperii ciuiliis quod tenent, aut Prælatu-  
rae seu dignitatis, quam ornant, ecclesiasticæ, aut Seniora-  
tus in gente quadam introducti, iura dominii directi, quod vel  
ab Episcopatu aut gente quadam illustri dependet, administrant.  
Quos vero cum supposuimus fungi iuribus dominii, quod ad ali-  
um spectat, directi, suo iure, quaecumque demum illud sit; facile  
quoque est intellectu, non habere eos, quare se ad specialem  
quemque actum legitiment, potius eos præsumtionem pro se ha-  
bere, quod omnium in dominio directo contentorum iurium libe-  
ra iis concessa sit administratio. Et sane sustinent in omnibus vi-  
ces dominorum, & instar horum libere omnia peragunt, nisi qui-  
dam actus dominis reseruatus aut etiam ad horum consensus ad-  
strictus fuerit. a) Inde ergo dependet decisio quaestionis, quare-  
nus in oppignorationem feudorum prodomini consensus sufficiat?  
Scilicet sufficere eum semper existimo, nisi ille, cuius vices gerit,  
dominus, v. g. Gens quaedam illustris vi pactorum familiae aut  
aliarum conventionum specialium, sibi priuatiue reseruauit facul-  
tatem consentiendi, aut eam prodomino quidem quoad ius con-  
cessam, quoad exercitium tamen ad suum consensum adstrinxerit.

a) Haec sunt principia, quae pro more suo docte exposuit CELEB. STRYCK  
in singulari Comment. de prodomino feudi directo.

§. 26.

CONSENSVS DOMINI OBLIGAT EIVS SVCCESORES SINGV-  
LARES AEQVE AC VNIVERSALES.

Consensus vero semel rite recteque interpositus a domino,  
quatenus huius successorem teneat, quaestio hoc loco haud negli-  
genda

G





genda esse videtur. Vilitata admodum est in scholis Iureconsultorum distinctio successorum in vniuersales, seu eos, qui ex beneficio defuncti in vniuersum eius ius succedunt, eosque, quos appellant singulares, ad quos successio in specialia quaedam defuncti iura suo iure, non beneficio defuncti, peruenit. Longe a me abest, vt distinctionem hanc a fundamento suo destitui affirmarem; vereor autem, ne consecutaria, quae inde deduci solent, nimis longe procedant, ac analogiae Iurium quodammodo refragentur. Plurimi enim Ictorum contendunt indistincte, quod vniuersalis successor antecessoris facta praestare teneatur omnia; singularis vero ad ea praestanda haud compelli possit. Ego vero, quatenus factum aliquod viuris, quod ad singularem transit successorem, a defuncto praestitum est, eandem in singularem quadrare rationem mihi persuasum habeo, quae in vniuersalem cadit, quare facta antecessoris rata habere teneatur. Vniuersalis enim successor ad eius, cui succedit, facta adimplenda ideo tenetur, propterea quod defuncti personam repraesentat, indeque idem cum eo subiectum eorundem iurium ac earundem obligationum habetur; quid vero impedit, quo idem minus de singulari successore ratione iurium eorum, in quae defuncto succedit, contendamus? Horum intuitu aequae personam defuncti repraesentat, ergo eatenus, non quidem in totum, pro vna persona cum defuncto habendus est. Fac itaque, vt exemplo mentem meam exponere audeam, Principem succedere Principi non vniuersaliter sed titulo singulari; malam sane Principis hanc fore adsentationem arbitrator, si eum ad antecessoris facta approbanda haud obstrictum esse contendere velis, eique persuadere audeas, sibi esse facultatem reuocandi, irritaque declarandi omnia, quaecunquae ab antecessore fuerunt peracta. Ego potius distinguenda hic ante omnia esse censerem, quae Princeps tan-





anquam Princeps, aliaque, quae non ea sub qualitate suscepit, facta. Ab horum quidem praestatione Principis successorem singulari arem plane esse liberum lubens largior, ad illa vero praestanda eum teneri defendo. Quae Princeps enim qua talis peragit, haec ab eo vi Imperii non sua, sed Principatus, autoritate sunt peracta; dum ergo Principis successor singularis talia eius facta rata habet, non tam Principis, quam ipsius Principatus facta praestare videtur, & reuera praestat. Itaque, quoties Reipublicae non singulariter interest, facta defuncti reuocari: toties successor singularis ea non poterit pro arbitrio suo declarare irrita. b) Quibus hucusque suppositis ego iam vtiliter vti posse arbitror ad decidendam nostram quaestionem, quatenus successor domini directi de huius consensu in oppignorationem feudi impertito teneatur? Negligendam scilicet certa ratione esse arbitror distinctionem successorum in vniuersales & singulares; & vtrumque eadem ratione de consensu a defuncto semel vasallo impertito teneri arbitror. Secernerem ego hic a se inuicem, vti antea generaliter monui, quae dominus directus, cui succeditur, qua talis peregit, ab iis, quae non sub hac qualitate consideratus, suscepit; Horum causa vnice successorem vniuersalem teneri, eorum autem ratione singularem aequae ac vniuersalem eodem modo obstringi defenderem. Vtraque enim specie obtinente succeditur domino directo in illud ius, vi cuius in oppignorationem consentire potuit ac consensit; hinc etiam vtriusque successoris par erit obligatio ex consensu ab antecessore interposito, longeque illud ab vtroque abesse debet, vt factum hoc eius, cui succedit, revocare audeat. Sicut enim Principis successor licet singularis omnino ad seruanda priuilegia ab antecessore condita, quatenus non precario seu ad beneplacitum fuerunt concessa, iure nostro obligatur a) ita, quare successor domini directi





ex privilegio speciali, quod hic de oppignorando Vasallo indulgit, haud teneatur, sed ei licere debeat, vt pro lubitu suo diffusum declaret, eaque declaratione oppignorationem validam irritam facere possit, ego quidem non video. c)

- a) COCCII in Iure Controuerso P. I. Lib. I. T. IV. Q. IO.  
 b) de LVDEWIG de obligatione successorum, *STRVBENS* *Rechtliche Bedencken* T. I. N. I.  
 c) Illa de re mecum consentit ROSENTHAL de feudis Cap. IX. membr. I. Conclus. 39.

§. 27.

NIL REFERT, QVISNAM CONSENSVM DOMINI PETAT  
 NVM VASALLVS, AN CREDITOR.

Alia de consensu domini in oppignorationem feudorum nascitur quaestio, quae Doctores Iuris feudalis admodum habet sollicitos, cuiusnam partes esse debeant & possint, vt permissio domini impetretur, an debitoris tantum Vasalli, an etiam creditoris feudum pignoris loco accipientis? Vtriusque maxime interesse patet, veniam de traditione feudi in pignus a domino impetrari, quoniam ea deficiente ipse actus plane nullus est & vtrique maximum adfert damnum; hinc vtrumque de ea impetranda maxime esse sollicitum, suum quemque commodum admonet. Neque autem de eo dubitatur, quin debitor Vasallus consensum domini queat impetrare inconsulto creditore, huic enim non damnum inde potest nasci, certissimum contra commodum ei oritur, cum domini consensu impetrato, demum securus possessor feudi in pignus ei traditi existere queat. Longius autem multo procedunt multi Iurorum, quippe qui regulam eamque sine exceptione stabilire amant, quod Vasallus





fallus debitor necessario debeat ipse impetrare veniam domini directi, creditori autem infcio debitore, quocum contractum de feudo pignoratitium inicit, eam non petere liceat, adeo ut si debitor eum in consulto debitore impetrauit, consensus domini ad Vasallum non pertineat, nisi forsan ius eum petendi creditori in contractu fuerit reseruatum. At vero non diffiteor, me, quamuis hoc generale omnium fere ICtorum sit assertum, asserti rationes haud commode assequi posse. Contractu enim pignoratitio de feudo semel a Vasallo inito, ecquis prohibere creditorem poterit, quo sibi minus impetrando consensum domini optime consulat; et vix a dolo mihi abesse videtur debitor Vasallus, qui consensum domini ideo nullius momenti esse defendit, quoniam ipse eum non petiit. Praesertim illud eo magis affirmare haud dubito quoniam ex accedente consensu domini precibus ideo a creditore factis, Vasallo nullum nascitur praeiudicium. Domini enim consensus tantum renunciationem iuris contradicendi, quod ei alias debetur, continet, eique obligationem, quae ex pignore nascitur, gignit; ratione Vasalli autem confirmat tantum actum siue conuentionem, quae, ut supponimus, iam iam ab eo cum debitore inita est, et modo nouum illi, in quod iam Vasallus antecedenter consensit, facto accedit robur. Hinc infcio non solum sed inuito etiam vasallo creditor poterit, dominum, ut consentiat, implorare. Quid enim ius ei erit contradicendi? aut qua ratione, quo dominus minus consentiat, poterit impedire? Accedit nostrae sententiae nouum argumentum exinde desumptum, quod in Constitutione, qua FRIEDERICVS Imperator ad validam feudi oppignorationem domini permissionem accedere oportere sancit, haud iusserit, eam a debitore Vasallo peti debere; nam haud incongrue inde promanat conclusio, quod illud ab arbitrio partium vnice pendeat. Quid? quod,





cum praeter realem aut veram veniae domini existentiam nil in lege nostra requiratur, quid obstat, quo dominus minus sua sponte, quamvis neque Vasallus neque debitor eum adierit, consensum suum liberaliter indulgeat? Non nescio quidem, a dissentientibus obfici, quod non liceat Iudici hypothecam publicam seu iudicalem in bonis debitoris hoc infcio ac invito constituere, hincque simile ab iis argumentum trahi, quod nec domino queat permitti, infcio vasallo constituere pignus alteri in feudo ad eum pertinente? Sed, sicut omne simile claudicare solet, ita etiam hoc nulla sane ratione hic quadrare dicendum est. Hypotheca enim iudicialis dum a conventionione partium praecedente dependet; nullae Iudicis circa eam partes esse possunt, antequam de ea sufficienter constar. Iudex praeterea non tam hypothecam constituit, potius, dum de hypothecae iam iam constitutae confirmatione agitur, auctoritatem suam interponit, quo maior hypothecae accedat praerogativa. Dominus autem feudi, dum de bonis Vasalli pignori dandis veniam suam indulget, non dici potest disponere de bonis ipsius eo invito aut in eius praeiudicium (siquidem eum iam de pignorando feudum contraxisse supponimus) sed tantum in sui praeiudicium pignus constitutum valere concedit, & ius creditori in feudo constituit efficax, quod antea erat infirmum. Quod quin facere possit dominus, eo minus poteris dubitare, cum de Iure Romano a) pignori dari potest res sub conditione, si debitoris facta fuerit. Quamvis itaque BRUNNEMANNVS b) in Consiliis suis perhibeat, litteras consensuales Principis non solere in Cancellariis feudali- bus expediri ad preces creditorum, tantum ad eas debitoris; mihi tamen, nisi speciali lege illud cautum sit, ratio assertae consuetudinis difficilis erit intellectu. Obstat quidem videtur, quod dicunt, creditorem infcio vasallo ob maius debitum forsitan dolose consensum





sum domini petere posse, quam quod a Vasallo fuit contractum, ideoque, vt eiusmodi fallaciae auerantur, necesse esse, vt ipse Vasallus permissionem domini impetrauerit. Sed pone, talem esse dolum adhibitum (an etiam adhibitus sit, quaestio facti erit, neque praesumi potest, cum omnis doli praesumptio sit exclusiua) semper exceptio sub & obreptionis Vasallo erit salua, neque ille vllatenus creditori patrocinarı poterit. Idque vsu fori, etiam in patria, feruari, eius rei exemplum certum compertum habeo. Nobilis quidam von M — — — pignori dederat praedium suum V — — — alii cuidam Nobili von B — — —; Creditoris pignoratitii post mortem vidua eius nobilis tutorio filiorum nomine litteras consensuales a Cancellaria feudali petiit, easque decenter petitas die 15 Aug. 1752 impetrauit, certissimo indicio, non opus esse vt hae demum ab eo, qui feudum pignori tradit, impetrentur c), Quod ad sportulas feudales attinet, quae propter hunc a domino impetratum consensum solui debent, earum quidem quantitas a singularum curiarum feudalium consuetudine ac obseruantia pendet, & num a Vasallo debitore an a creditore eae praestandae sint, pacto optime deciditur. Deficiente autem eiusmodi pacto, analogiae Iuris conuenientissimum id mihi videtur, quod, siue pro litteris consensus domino quaedam summa vi obseruantiae solui, siue tantum officialibus pro expeditione eorum, quae eas respiciunt, honorarium quoddam determinatum offerri soleat, vtrumque a Vasallo praestari debeat, siquidem pro impetrata licentia feudum oppignorandi deque feudo contrahendi soluitur.

a) L. 16. §. 7. D. de pignoribus & hypothecis.

b) BRUNNEMANNVS in Consiliis & Responis Resp. XC. n. 12.

c) Plures, quae alias hic excogitari possunt, dissentientium obiectiones, eas collegit ac refutatus est eleganter & docte BÜHNMEYER in diss. de hypotheca feudali expressa Cap. I. §. 12 — 17. §. 28.





## §. 28.

CONSENSVS DOMINI SEMEL INTERPOSITVS NON POTEST  
PRO LVBITV A DOMINO REVOCARI.

Existente demum permissione domini in traditionem feudorum in pignus, siue ea ad preces Vasalli debitoris siue creditoris fuerit impetrata, inde ius quaesitum aliquod Vasallo est, quod ei inuito rursus adimi nequit; quare vi huius, ne dominum amplius poenitere liceat, erit tutissimus. Pariter enim ac renunciatione Iuris cuiusdam facta ad renunciata iura denuo non datur regressus, eadem ratione nec licebit domino revocare, quae ipse antea accedente consensu suo indulsit, ita vt, quod ab initio fuit liberae voluntatis, illud iam necessitatis fieri incipiat. Interea tamen illud mihi persuasum habeo, quod, sicut donatio ob singularem donatarii ingratitude a donante non potest non reuocari, ita etiam domino, licet propter concurrens ius creditoris non possit in poenam consensum suum semel datum reuocare, attamen, si Vasallus se beneficio domini reddidit indignum, ius domino denegari nequeat re adhuc integra consensum semel promissum est nondum declaratum retinendi, eumque denegandi.

## §. 29.

CONSENSVM DOMINI AD OPPIGNORATIONEM FEVDI  
PETI, IN OMNI GENERE FEVDORVM AEQVE  
NECESSARIVM EST.

Quae hucusque de necessario domini consensu in traditionem feudorum in pignus disserui, ea adeo vera sunt, vt oppignoratio demum ab eo momento, quo ille impertitus est, substantiam suam capiat; qua ratione fortasse adducti permulti Ictorum cum

CARP.





CARPZOVIO consensum domini humidum radicale pignoris feudalis appellare solent. Idque omnino de omni feudorum genere, siue ea sint noua siue antiqua, siue propria siue uero impropria, asserendum esse puto. De propriis quidem res dubio caret, cum in iis omnia feudorum naturalia seruata esse certum sit; quoad impropria autem forte aliter dicendum esse uidetur, siquidem in iis salua feudi essentia est, ast naturalia ualde alterantur, ita ut quaedam plane desint, quaedam certe admodum immutata sint. Sed etiam circa haec idem obtinet nostrum assertum. Etenim improprietas feudorum nunquam ulterius est trahenda, quam ea reipsa sese habet; neque vno naturalium deficiente alterum quoque abesse argumentari licet, potius reliqua omnia seruata esse iure praesumendum est. Exinde ergo, quod in feudo forsitan remissa sit necessitas iuramentum fidelitatis praestandi, aut quod foeminis ius succedendi debeatur, aut quod seruitia militaria a Vasallo praestari non debeant, haud argumentum trahere poteris, etiam reliqua feudi naturalia in tali feudo esse remissa. Quicquid itaque feudum supponas improprium, nunquamnon ipsius oppignoratio consensum domini necessario requirit, nisi necessitas consensum domini petendi speciatim a domino fuerit remissa. Talem quidem exceptionem a regula nostra ex nonnullorum sententia suppeditat feudum alienabile, quippe quod sine speciali domini consensu in extraneum alienari potest, vi pacti in inuestitura adiecti. Sub alienatione enim cum & de Iure Communi oppignoratio comprehendatur, & inprimis de Iure Feudali haec illi aequiparetur, non dubitari posse autumant, dum alienatio feudi inconsulto domino permisa est vasallo, quin etiam traditio feudi in pignus pro permisa habenda sit sine noua domini permissione. At uero, cum quilibet sibi minimum praediuicasse censeretur, locutiones generales, quibus dominus fa-

H

cul.





cultatem alienandi concessit, in fauorem domini restrictiue erunt interpretandae. Et contra vasallum, qui stipulatus sibi est talem praerogatiuam, interpretatio erit facienda, siquidem eius fuisset clarius loqui, cum singulare commodum ex contractu quaesuerit. Maius autem domino praeiudicium ex oppignoratione, quam ex alienatione stricte tali, nasci, ex iis quae in §. 23. monui, satis apparebit. Solent alii huc quoque referre feudum absolute vel mere hereditarium a), sed non habeo, quare huic sententiae ego subscribam. Suppono enim in feudo hereditario tantum circa successionem Iure feudali receptam aliquid, siue intuitu personarum succedentium, siue ratione modi, quo succedi solet, aliquid immutari, reliqua vero naturalia omnia salua manere. Quare nec liberam feudi alienationem simul vasallo datam esse, aut obligationem domini veniam, si feudum pignoris nexui subiicere velit, petendi remissam esse, praesumi poterit. Tunc autem, cum Vasallo, qui feudum hereditarium siue mere siue mixtim tale tenet, simul facultas de eo data sit libere disponendi, adeo ut sine speciali domini consensu illud ei quacunque velit ratione, et vendere et oppignorare liceat, aliter omnino sentiendum est, non ideo, quoniam feudum hereditarium est, verum eam ob rationem, quoniam feudum illud hereditarium simul hanc singularem naturam ex indulgentia domini directi accepit.

a) CASP. ACHAT. BECK de consensu feudali §. 48.

§. 30.

TRANSITVS AD MATERIAM DE CONSENSV AGNATORVM  
IN OPPIGNORATIONEM FEVDI.

Sufficiant mihi haec, quaecunque de consensu domini in traditionem feudorum in pignus tanquam maxime necessario hucusque





que exposui. Tantum a me abest, ut omnia, circa hanc materiam a me exhausta esse contendam, nimis illud arroganter a me esset dictum, ut potius multa, eaque forsitan sat graua arduaque hisce addi posse iubenti animo fatear. Pro instituti tamen mei ratione, dum hoc loco de iis, quae ad validam feudorum in pignus traditionem agere constitui, mihi sufficit, ex hucusque adductis de eo apparere, quod ius oppignorandi ipsum Vasallis lege nostra sit ademtum, ideoque omnis oppignoratio, quae hac lege neglecta a Vasallo facta est, illicita plane sit vitioque nullitatis laboret, nisi deum dominus feudi vasalli voto annuat, eique ut feudum pignoris nexui subicere possit, benigne indulgeat. De qualitate simul consensus domini, qualis scilicet esse debeat, quodammodo ex suppositis constare arbitror. Hic ergo iamiam pedem figere & ad alteram Commentationis partem, in qua de iuribus & obligationibus ex feudorum traditione in pignus oriundis agere animus est, transire liceret, nisi praeter domini consensum, quo negotium modo sit licitum & in domini praecudicium simul validum, plura adhuc de iure feudali supponi meminissem, si scilicet traditionem hanc feudorum in pignus plenissimum Iuris effectum sortiri velis. Itaque meum id erit officium, ut de iis quoque breuibus commentari faciam periculum.

## §. 31.

OPPIGNORARE FEVDVM VALIDE NON LICET INCONSULTIS  
IIS, QUIBUS IVS IN ILLVD SVCCE-  
DENDI COMPETIT.

Proprietas nempe Vasallorum, siue ius quod iis de substantia feudorum disponendi lege datum est, sicuti per dominium directum magnopere restricta est, ita etiam per ius succedendi, quod a feudi





domino consentiente primo beneficii acquirente pluribus tribui solet, admodum esse potest limitata. Antiquitus quidem nulla in feudis successio locum habuit, sed domino reuocare semper licuit feuda tantum precario concessa, Pedetentim tamen Vasallorum filii, dein ex Constitutione CONRADI nepotibus, tum quoque collateralibus certi tamen tantum gradus, ius succedendi in feuda datum est, a) denique vero illud ad omnes omnino a primo acquirente sanguinem trahentes fuit extensum; ita ut hodie, quicumque a primo acquirente descendit, in prima feudi inuestitura comprehensus esse censeatur, ideoque iure succedendi gaudeat b). Quemadmodum autem ille, qui iure quodam conditionato gaudet, donec conditio adiecta promissioni adhuc in suspenso est, ita, ut, num ea existura sit an minus, nondum appareat, promittentem suo iure impedire potest, ne quid suscipiat, quo ius eius futurum ante conditionis existentiam possit interuerti: ita eo minus dubitari potest, quin iis, qui in prima inuestitura feudi simul comprehensi sunt, omnem mouere anchoram liceat, impediendi causa, quo minus ius successionis in feudo semel sibi acquisitum facto Vasalli possessoris iis denuo adimatur. Qua autem ratione facilius euenire poterit, ut ius eorum optime radicum a Vasallo interuertatur, quam si supponis, facultatem Vasallo datam esse, alienandi feudum aut illud iis inconsultis pignoris nexui ita subiciendi, ut alienatio haec & pignoris in feudo constitutio iis inuitis in praeiudicium eorum vergeret. Itaque posito semel iure aliis in feudum succedendi competente, illud etiam ex huius natura, nisi illud ius prorsus inutile & arbitrio Vasalli simpliciter subordinatum esse contendas, consequi necessario videtur, ut omnis dispositio vasalli possessoris de substantia feudi, inprimis vero omnis eius alienatio & quae ei lege nostra similis habita est, oppignoratio, quatenus





nus in detrimentum successorum feudaliū vergere debet, horum etiam consensum tanquam necessarium requirat. Idque sibi vult Constitutio Iuris Feudalis Longobardici, c) *»alienatio feudi paterni non valet etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reuersurum.«*

a) I. F. I. §. 1. 2. seqq.

b) II. F. 50.

c) II. F. 39.

§. 32.

FILIORVM CONSENSVS PATRI FEVDVM OPPIGNORATVRO  
NON OPVS EST PROPTER SANCITVM II. F. 45.

In quo quidem adducto textu tantum agnatorum consensum requiri, omni attentione dignum est, eoq̄e magis id mirum esse videtur, cum filios seu descendentes Vasalli feudi possessoris primus ordo successionis lege feudali introductae tangat a), hinc eorundem aequae, quid? quod magis, quam agnatorum deficientibus descendentes demum succedentium, interest, ne dispositione possessoris Vasalli eorum ius prima inuestitura semel acquisitum intercipiatur. At vero, quamuis descendentes in feudis successio naturam successionis legitimae seu lege feudali stabilitae eatenus habeat, ut non ex beneficio patris, cui succedunt, sed ex eius providentia, qui primus feudum acquisiuit, ad successionem admittantur, hinc ab iis proprie succedatur in ius, quod primi acquirere fuit; singulare tamen aliquod ius iure feudali Longobardico intuitu filiorum (quorum quidem nomine omnes masculos descendentes subintelligi constat) introductum est, scilicet, quod filii facta parentis praestare teneantur omnia, dum ei in feudo succedunt.





dunt. „*Vbi enim vassallus* (ita disponit famosa illa Iuris Longobardici Constitutio b)) *filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare, sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet.*” Indirecte itaque hac Constitutione dum filii simul heredes allodii, & successores feudi a patre ad eos deuoluti esse iubentur, obligatio iis imponitur, facta patris de feudo praestandi omnia, siquidem instar heredum patris cum eo eadem sunt persona, hincque propter identitatem personae eius iura filiorum iura, eiusque obligationes simul obligationes filiorum factae sunt. Non quidem me fugit, auctoritatem eius, quod adduxi, capituli I. F. L. a multis ICTis fama celeberrimis quodam modo in dubium vocari, praesertim cum textus ille iis tantum de feudo hereditario loqui, de reliquis feudorum speciebus haud disposuisse videatur. Sed non est, quod horum sententiae calculum adiiciamus, siquidem nec vlla in capitulo mentio hereditari feudi facta est explicite, neque autem in eo implicite latet, cum expressis verbis constitutio haec singulare aliquod discrimen agnatos inter & descendentes statuatur ratione praestationis factorum defuncti, quod tamen statui non potuisset, si de feudo hereditario Feudistae sermo esset, quippe in quo ab agnatis aequae ac descendentibus facta antecessoris praestari debent c). Etiam si autem nonnulla capitula veteris Iuris Germanici d) sancire videntur, ut filius salua in feudo successione hereditatem paternam repudiare, eaque ratione sese ab obligatione parentis facta facienda liberare queat: attamen (licet monere nolim, quae commode moneri posse videntur, scilicet quod capitula haec magis de delictis patrum quam reliquis eius factis loquantur, ita ut verborum mens sit, filium ex delictis paternis nequaquam teneri, inprimis eius hereditate repudiata) vtriusque veterum Germanicarum consuetudinum compilationis, priuata tantum auctoritate factae, nobis nulla





nulla hodie est autoritas, nisi speciali lege aut obseruantia haec iis addita sit; potius recepto Iure feudali Longobardico in toto suo complexu etiam hoc capitulum receptum esse dicendum este). Neque est, quod capitulo obiicias, ab omni ratione illud plane destitui, ideoque merito eius sancitum nobis esse negligendum. Quamvis enim Icto non sit de lege sed secundum legem iudicandum, idonea tamen haec mihi Constitutionis nostrae ratio doceri posse videtur, quod scilicet honori nominis paterni, ne ei post obitum macula adspergeretur, nominibus eius non expunctis, haud melius consuli posse existimatum fuit, quam ut hi qui proxime a patre accipiunt feudum & per patrem succedunt, ad seruandum patris honorem, qui filiis bonis adeo sine lege curae cordique esse debet, hac ratione obstringerentur. Quacunque ergo ex parte legem hanc intuear, nil video, quare eius autoritas dubia reddi possit. Ea autem salua existente, hacque supposita obligatione filiorum facta paterna in feudo rata habendi omnia, prono inde alueo fluit quaestionis nostrae decisio, an scilicet filiorum consensus ad convalidandam eorum intuitu oppignorationem a patre factam requiratur? Neganda enim haec est quaestio, cum ius contradicendi facto paterno iis lege plane sit ademptum, eorumque nullae aliae partes esse possint, si succedere volunt in feudo, quam ut acquiescant factis parentum, eaque omnia rata manere sinant.

a) II F. II.

b) II F. 45.

c) HORN in Iurisprudencia feudali Cap. XVI. §. 24. STAVY in Syntagma-  
te I. F. Cap. IX. Aphor. II.

d) Ius feud. Saxonicum Cap. 55. Ius Feud. Allemannicum c. 83.

e) Quod





e) Quod eleganter euincere allaborauit Vir Perillustris de CRAMER ia Ob: seruationibus Iuris Vniuersi Tom. I. Obf. 422. ybi etiam de autoritate eius quam exposuimus, sententiae in Iudicio Camerae certissimum exhibet testimonium.

§. 33.

CONSENSV AGNATORVM ACCEDENTE OPPIGNORATIONI  
FEVDORVM, HAEC QUIDEM NON DEMVM LICITA,  
AST VALIDA EORVM IN PRAEIVDICIVM  
EVADIT.

Longe autem alia ratio est agnatorum, seu successorum in feudo masculorum, qui a primo acquirente sanguinem trahunt, eique, de quo agitur, Vasallo, a latere iuncti sunt. Nulla enim causa obligandi adest, qua agnati ad facta sua ratihabenda a Vasallo possessore feudi adigi possunt, cum mediante defuncto agnato feudum ad eos non deuoluatur, sed illi vnice beneficio & prouidentia primi acquirentis titulo quidem singulari non vniuersali succedant. Quodsi enim hereditas defuncti simul cum feudo ad eos deuoluatur, iis tamen lege feudali eam adeundi obligatio nulla est imposita; multo magis iis optio relinquatur, malintne allodiam hereditatem repudiare, feudoque esse contenti, an vero vtrumque simul amplecti sibi que habere. Agnatus etenim (audiamus ipsa Constitutionis verba a) „ad quem hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum si patrum fuerit, retinere poterit.“ Itaque repudiata ab agnatis hereditate nullum fundamentum adest, quod sufficiens esset, vt eo agnatus ad praestanda facta defuncti compellatur; id quod verba capituli sequentia innuunt „nec de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere tenetur.“ Quid enim impedit, quo minus ea, quae de solutione debitorum vasalli hoc loco sancita sunt, ad alia





alia facta defuncti, specialiter autem ad oppignorationem feudi ab eo factam applicare audeamus? Quibus quidem suppositis, eo clarius de ratione constare arbitror, propter quam compilerator consuetudinum Longobardicarum in capitulo supra allegato b) alienationem, quacum oppignorationem lege aequiparatam esse saepius monuimus, feudi paterni non valere contendat *etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reuersurum*. Inde vero simul cautela creditori pignoratitio nascitur, quod consensu domini ad oppignorationem feudi impetrato non debeat esse contentus, sed in illud quoque suum conferre studium, ut eorum, quibus succedendi olim in feudum ius debetur, gratiam sibi conciliet, eosque, ut consentiant, adducat. Quo enim consensu impetrato, aliter vero non, oppignoratio feudi facta contra eos quoque suos exeret effectus, eorumque in praedictum erit valida. Caue autem, ne mentem verborum aliter explices, ac ego verba intelligi volo. Non nescio enim, non deesse ICros, qui contendunt, consensum agnatorum aequum necessarium ad oppignorationem feudi esse, ac domini permissionem, adeo ut, licet haec adsit, eo deficiente ipsa oppignoratio non subsistere possit. Provoquant scilicet ad verba textus, quae posui; *non valere*. Ego autem probe a se distinguenda esse censeo, quae ipsam constitutionem pignoris respiciunt, ab iis, quae ex constituto pignore nascuntur, iuribus. Oppignoratio quidem ipsa domino eam permittente valet etiam agnatis inconsultis, eo magis, cum in Constitutione FRIDERICI Imperatoris c) quae hic vramque facit paginam, praeter domini permissionem ad id, ut ea fiat licita, nil requiritur; sine autoritate legum feudalium ergo nimis esset temerarium asserere, quod ad licitam reddendam feudi traditionem in pignus agnatorum autoritate opus sit. Eo manifestius illud evadit, si perpendis





his, neglecto agnatorum consensu non imminere priuationis feudi poenam, quae domini permissione haud impetrata Vasallo oppignoranti certissime imminet. Neque eadem sane intuitu agnatorum adest ratio, quae intuitu domini obtinet, quare eorum consensus aequè ac huius esset necessarius, siquidem domini interest, ei iuito alium pro alio non obrudi vasallum, pro agnatis autem haec ratio nullatenus militat. Quamuis autem domini permissio absque consensu, agnatorum licitam reddat feudorum oppignorationem; ratione effectuum tamen, ut nempe agnati, deuoluta aliquando ad eos successione, eandem ratam habere teneantur, horum voluntas negotio accedat necesse est. Eatenus quoque, non vero, quasi iis non consentientibus feudi oppignoratio esset illicita, in lege feudali non valere dicitur alienatio eorum intuitu tunc, cum feudum ad eos peruenit, d)

a) II F. 45.

b) II F. 39.

c) II F. 55.

d) Idem nobiscum sentiunt HAHN de oppignoratione feudi §. 17. BAYER de hypotheca feudali absque consensu agnatorum valida §. 13—17.

§. 34.

EADEM, QVAE AGNATORVM DE IVRE COMMVNI, RATIO  
EST SIMVLTANEE INVESTITORVM SECVNDVM MO-  
RES SAXONVM.

Receptum autem esse constat, in magna Imperii Romano-Germanici parte, potissimum in Saxonia iisque, vbi mores Saxoniae vigent, prouinciis curiisque feudilibus, quod soli tantum descendentes defuncto in feudâ succedant, agnatorum vero nulla sit suc-





successio, adeo vt diuisione totali, vti loquuntur, feudi communis inter plures descendentes facta alter in alterius partem succedendi ius plane amittat a). Non vero minus ignotum est, eam ob causam, ne agnatis alias plane exclusis a successione omnis successio nis spes prorsus adimeretur, secundum mores Saxonum introductam esse simultaneam inuestituram, b) qua quidem feudum vni principaliter a domino constitutum aliis sine respectu agnationis eadem infeudatione simul constituitur, eo consilio, vt hac inuestitura iis ius succedendi tribuatur; eaque vnicum fundamentum omnis omnino iuris sit, quod simultanee inuestitis in feudo deberur, nullo plane habito respectu, num a primo acquirente sanguinem ducant nec ne. Iure itaque Saxonico dum simul inuestiti in eandem infeudationem successio nis causa recipiuntur, non potest fieri, quin condominium ratione proprietatis aliquod nanciscantur, quod quoad ius praesens & purum, quoad exercitium Iuris aurem ad euentum mortis Vasalli possessoris eiusque descendendum adstrictum est. Vi huius condominium eadem ratione, qua agnati de Iure nostro Communi, maxime tuti esse poterunt coinuestiti, ne Vasalli possessoris, facto eorum iuri quaesito noceatur, indeque nec vlla huius de substantia feudi dispositio in praedictum eorum vergere possit. Difficile ergo haud est intellectu, quod quoties vasallus valide velit beneficium alienare aut in pignus creditori tradere, ita vt etiam contra simultanee inuestitos aliquando creditori liceat ius suum persequi, horum consensus necessario accedere debeat. Haec est ratio, quare Vasallus possessor feudi, dum alios in eandem se cum infeudationem a domino recipi paritur, in antecessum sibi, ne consensus eorum tali forsan specie existente sibi desit, consulere soleat vi litterarum reuersalium a coinuestiendis illi exhibendarum, vti SIEGEL in commentatione speciali c) eleganter docuit.





Itaque nil impedit, quo minus sancitum Iuris Feudalis Longobardici c) oppignorationem & alienationem feudi non valere etiam domini voluntate, nisi consentientibus iis, ad quos aliquando feudum est reuersurum, simul ad simultanee inuestitos applicare audeam; quare etiam ego, quae de consensu agnatorum vassalli in oppignorationem feudi dicuntur, simul ad simultanee inuestitos trahi volo.

- a) Ius Feudale Alemannicum Cap. 65. §. 1. 2. Vetus Autor de beneficiis C. I. §. 84.
- b) Principia, quae de simultanea Saxonum inuestitura obtingunt, in doctissima Commentatione exposuit Vir Perillustis ERNST AVGVST RVDLOFF de genuina indole inuestiturae Iuris Germanici simultaneae.
- c) SIEGEL de litteris Reuersalibus a simultanee inuestitis exhibitis.

§ 35.

LONGE ALIA EST RATIO EVENTVALITER  
INVESTITORVM.

Non vero iura simultanee inuestitorum miscenda sunt cum iis, quae debentur iis, quibus euentualis de feudo a domino facta est inuestitura. Quae enim licet cum simultanea inuestitura in eo congruat, quod vnum feudum vtriusque sit obiectum, illudque pluribus eundem in finem, successionis causa constituitur; maxime tamen vtraque in eo differt, quod euentualis detur in euentum a perturae (qui supponit, finita esse iura omnium eorum, quibus a domino feudum fuerat constitutum,) hinc conditionatum tantum ius concedat euentualiter inuestito; cum e contraria parte simultanea inuestitura ius praefens transferat ac purum nulla conditione suspensum, cui praeterea accedit magnum illud discrimen, quod euentualis inuestitura a domino sine consensu vassalli eoque adeo inuito





vito fiat (siquidem, dum in casum aperturæ tantum fit, iura vafalli omnia falua ac illæfa manent, per confequentiam omne ius contradicendi deficit a) fimultanea autem inueftitura nunquam diffidentie vafallo fieri poffit, cum dubio careat, neminem cogi poffe, vt inuitus aliquem in condominium rei fuæ accipiat. Itaque cum euentualiter inueftitus tantum ius reale in feudo ad euentum aperturæ reftriktum faluo iure Vafalli poffefforis confequatur: facile inde colligere poteris, quod nec ille diffenfu fuo impedire poffit poffefforem feudi, quo minus de feudo accedente fcilicet permiffione domini difponat pro arbitrio. Res enim eam inter & dominum tanquam inter alios acta ficuti Vafallo non prodeffe poteft, ita nec ei obeffe debet, quare nec euentualiter inueftito contra Vafallum vlla remedia Iuris competere poffunt b). Fieri tamen indirekte poteft, vt euentualiter inueftitus, dum ea Iuris adhibet remedia, quibus a domino contendere poteft, ne quid moliat, aut in actum quendam confentiat, quo ius reale in feudo ei femel conceffum intercipiatur, vt, inquam, tunc indirekte impediatur, alienationem & oppignorationem feudi a Vafallo fieri. Pone eum, fi res adhuc integra eft, extraiudicalem appellationem interpone- re, aut remedio proteftationis de iure Ciuili competente vri, certe vtrumque hoc habere debet effectum, vt dominus (nifi attentatum velit committere) in alienationem confentire nequeat, ea- que ratione per indirectum vafallo ius oppignorandi adimatur. Quibus fuppoftitis, facile apparet, quod per fe confenfu euentuali- ter inueftitorum ad oppignorationem feudi opus non fit, vtiliter tamen ille accedat, quoniam fieri poteft, vt indirekte eius defectus ei impedimento exiftat. Multo minus autem expectatiuariorum, quos fimples appellare folent, ius aliquod effe, vt oppignorationi contradicant, fatis exinde patet, quod tantum ius personale iis ex pacto





pacto cum domino debetur, vi cuius tunc demum, cum feudum domino apertum est, ab hoc concessionem feudi iamiam ad eum deuoluti sibi exigere possunt; quare etiam unanimis fert Doctorum sententia, Vasallum, qui feudum possidet, cuius expectantia tertio a domino fuit concessa, non prohiberi, quo illud minus domino consentiente oppignoret, adeoque alienando in alium transferat c).

a) I F. 27.

b) Acute eam, quam defendimus, sententiam proposuit Vir Perillustris DA V. GEORG STRUBEN in *rechtlichen Bedenken* N. 89; hancque unanimem recentiorum existere opinionem satis comprobant, quae sub b. ab eo allegata sunt, ICtorum eorumque celeberrimorum Scripta.

c) Legi hic meretur Commentatio BECKII de consensu feudali §. 28.

### §. 36.

#### AGNATORVM OMNIVM NON PROXIMI TANTVM CONSENSVM CREDITOR PETIT CAVTVS.

Ego vero dum agnatorum (quibus simultanee inuestitos aequiparari volo) consensum ad oppignorationem feudi omni casu validam requiri suppono, illud adiiciendum esse puto, quod non sufficiat consensus huius vel illius aut proximiorum modo agnatorum, sed quod ne remotissimorum quidem autoritas creditori cauto & circumspetto negligenda sit. Omnium agnatorum idem ius in feudo successionis est, cuncti enim in prima inuestitura aequae comprehenduntur; hinc quoque omnium eadem hic debet esse autoritas. Tantum ergo abest, ut vnus consensus reliquis obesse possit, ut potius ab omnibus probari debeat, quod omnes tangere debet, negotium. Licet ergo ordo succedendi seu lege seu patris specialibus determinatus eos forsan, siquidem valde adhuc re-

mori





mori sunt, non tangere posse videatur, nisi demum post secula; at-  
tamen, cum vita hominum brevis admodum sit, & incogitata sae-  
penumero euenire soleant, haud esse poteris autor suaorque  
creditori, vt proximiorum consensu contentus sit, ne successione  
ad remotiores aliquando deuoluta habeat creditor, vt suae eum  
poeniteat negligentiae. Tela enim, quae praeuideri possunt, viro  
prudenti summo studio sunt auertenda; & incidet adagium illud  
tritum, tela praeuisa non nocebunt. Filii tamen agnatorum quin  
cum agnato patre pro vna persona habenda sint, hocque consen-  
tiente ii dissentire nequeant, de eo ob rationem generalem supra  
adducti textus a) dubitari nequit, quicquid dissentiant alii.

a) II F. 45. STRYCK in Examine I. F. Cap. XX. q. 15.

§. 37.

EX SUBSCRIPTIONE INSTRUMENTI, QVO FEVDVM OPPIGNO-  
RATUR, AB AGNATO FACTA AD EIVS CONSENSVM  
ARGUMENTARI LICET.

Ceterum, quae de declaratione consensus a domino aut ab ini-  
tio aut postea accedente ratihabitione, dein vel expresse vel im-  
plicitate seu tacite facienda §§. 17 — 18. in medium prorulimus, ea  
etiam suo modo de consensu agnatorum afferenda erunt. Prae-  
fertim vero facta, ex quibus ad consensum agnatorum concludere  
velis, ita comparata esse debere moneo, vt tuto ex iis ad consen-  
sum duci possit consequentia. Itaque negandum erit, quod ex sola  
scientia contractus, quam agnati tenuerunt, adeo si praesentia eo-  
rum, dum contractus celebraretur, accessit, ad consensum eorum  
argumentari possis. Qui enim tacet, nisi forsitan loquendi substi-  
necessitas seu obligatio, ille salvo suo iure siluisse censendus est.  
Idque





Idque eo magis de agnatis affirmari oportere arbitror, quo certius est, eos contradictione sua haud impedire potuisse, quo minus contractus a vasallo celebraretur. Suppono enim pignus permissione domini accedente in feudo constitutum, licet omnes dissentiant agnati, licitum esse, hinc de eo contractum libere iniri posse iis adeo inuitis, quorum quippe causa (si a iure protimiseos discesseris) tunc demum agitur, cum successio ad eos deuoluta est. Magis vero sollicitos habet Doctores Iuris Feudalis quaestio illa celebris, num agnati, qui contractui pignoratitio subscripserunt, pro consentientibus haberi debeant, an minus? Communis fere Ictorum fert sententia, quod ex subscriptione contractus ab agnato facta non valeat consequentia ad consensum a subscribente interpositum, si quidem magis eum ut testem, quam instar agnati, subscripisse, praesumi debeat. At vero, si ingenue dicendum est, quid ego sentiam, mihi quidem quaestio illa affirmanda non neganda esse videtur, hoc tamen supposito, omnem dolum abfuisse ab actu subscriptionis, ita ut subscribentem negotium illud, cui subscripsit, non celarint paciscentes. Si enim verum est, omnem praesumptionem ab hoc capiendam esse, quod ut plurimum euenire solet; & nostrum erit, dum volumus coniectura aut praesumptione assequi, quem in finem subscriptio contractus ab agnato facta sit, praesumptionis fundamentum ab usu fori seu eo, quod in praxi maxime frequentatur, repetere. Tuto autem ad omnium eorum, qui in negotiis forensibus versantur, experientiam prouocare licet, quod haud receptum sit moribus nostris, si qui contractus celebrantur, in iis adhibere testium praesentiam, potius aliorum, quam paciscentium, subscriptionem haud adhiberi solere, nisi eorum forsitan intersit contractum non iniri, ideoque eorum ius negotio fortasse contradicendi, eos ad subscriptionem contractus inuitari, suadeat. Tunc vero





vero non praesumi possunt tamquam testes subscripsisse, sed potius contractum agnoscere & iuri suo renunciare voluisse. Accedit usus fori, quod, qui non in sua causa, sed ut requisitus testis instrumento subscribit, adiacere soleat qualitatem hanc: *als erbetener Zeuge*; qua ergo omissa, nec praesumi poterit qua testis subscripsisse. Quae quidem supposita me iudicare faciunt, quod agnati, dum contractui pignoratitio vasallum inter & creditorem inito subscribere haud denegarunt, non tam ut testes, quam instar agnatorum iuri suo renunciantium, subscribere voluisse censendi sint. Ideoque agnato, qui contrarium sustinere audet, onus probandi incumbit, quod, nisi expresse ab eo adiectum sit, sese ut testem requisitum contractui subscribere, difficilimum erit agnato negotium, nisi forsitan communibus Doctorum opinionibus (quibus vero inniti iudicium nefas est) consulere sibi queat.

## §. 38.

CONSENSVS AGNATORVM NVNQVAM NON EST VOLVNTARIVS,  
ADEO SI DOMINVS CONSENSERIT.

Omnia autem, quae consensui in genere nocent, ea etiam consensui agnatorum obesse, ne monendum quidem esse videtur. (27). Illud tamen adiacere lubet, quod consentiendi ius agnatorum plane sit liberum, nullaque eius causa obligatio lege feudali iis sit imposita. Inde etiam tunc, cum iusta causa a vasallo possessore adiciatur, quare feudum in pignus alii velit tradere, imperfecta tantum est obligatio agnatorum, ut ne consensum suum denegent precibus Vasalli; adeoque vasallo omne ius cogendi agnatum, omnisque ei actio, qua illud exercere & prosequi possit, deficit. (§. 22.). Neque sane aliter res sese habere potest, si modo tecum per-

K

per-





perpendere velis, quod hic de iure agnatorum proprio agatur, de iure, inquam, quod nullo vasalli possessoris beneficio, potius ex pacto & providentia maiorum, potissimum primi acquirentis, agnato quaesitum est; ius vero quaesitum nemini invito auferri posse, neminemque ad eius renunciationem inuitum adigi debere, notissima Iuris principia satis superque euincunt. Illud adeo verum est, vt ne consensus domini quidem interpositus intuitu agnatorum iusta causa obligationis, quare consentire debeant, esse possit; quod quidem in ipsa rei & consensus natura fundatum principium non potuerunt non ipsae leges feudales agnoscere, vndo a) alienatio feudi paterni non valere dicitur *etiam domini voluntate*, nisi agnatis consentientibus. Me vero hoc loco regulam tantum ponere, hinc exceptiones, quae a regula existere possunt, haud reiicere moneo, ita, vt, quoties speciale fundamentum obligationis, quare consentire debeat agnatus, doceri possit, toties etiam a iure eum cogendi vasallus haud destituatur. Quodsi ergo simultanee inuestitus, (vti fieri illud solere supra adduxi §. 33.) litteris reuersalibus ei, ad cuius preces a domino feudi simul in inuestituram est receptus, speciatim exhibitis generaliter fidem vasallo fecerit, quod nunquam dissensu suo precibus eius intuitu feudi deesse velit, non dubitarem, quin inde Vasallo actio nascatur contra simultanee inuestitum, si in oppignorationem feudi consentire nolit.

a) II F. 39.

§. 39.

GENERALIA QVAEDAM DE CONSENSV AGNATORVM ENVNCIATA.

Quemadmodum vero supra ostendi, consensum domini in oppignorationem feudorum strictissimi Iuris esse, ita vt dominus  
vltra





ultra intentionem suam nequeat ex consensu suo obligari: (§. 23.)  
ita eadem regula quo minus de consensu agnatorum stabiliatur, nil  
quidquam obstare intelligo. Etenim, cum eadem asserti ratio in  
agnatos aequè ac in dominum feudi directum cadat, eadem quoque,  
quae eodem loco subministrari, consecutaria exinde non possunt  
non fluere. Quare omnes consensui agnatorum adiectae restri-  
ctiones, siue ratione personae, cui oppignoratur, seu ratione tem-  
poris, ad quod agnati ex consensu suo obligari volunt, siue qua-  
cunque alia ratione additae fuerint, probe attendi debent. Indeter-  
minate autem interpositus ab agnatis consensus indeterminatam  
quoque iis gignet obligationem, siquidem propositum mente re-  
tentum nil operari constat a). Praeterea autem consensus semel  
datus neque in totum ab agnatis reuocari, neque alia ei ex post addi  
restrictio poterit, quam quae ab initio fuit addita. (§. 28.) Semel  
enim ex eorum consensu vasallo aequè ac creditori pignoratitio  
ius quaesitum natum est, quo agnati iis inuitis poenitere prohiberi  
possunt. Denique dubio omni carere mihi videtur, quod consen-  
sus agnatorum, siue fuerit a Vasallo oppignorante impetratus, siue  
a creditore, cui feudum in pignus traditur, eiusdem sit roboris ac  
efficaciae. Licet autem creditoris magis quam Vasalli intersit, con-  
sentire agnatos, (creditor enim sibi hoc inde quaerit commodum,  
vt oppignorationis effectus etiam ad hosce transeant, vasallus vero  
certissimus est, agnatorum dissensu non infirmari posse oppignora-  
tionem domini consensu munitam, quamdiu scilicet feudum ab eo  
eiusque descenditibus possidetur,) (§. 33.) certe tamen hodie,  
cum liceat validè tertio pacisci, ita vt ex pacto, duos inter in com-  
modum tertii inuito, huic sua iura nascantur, non dubitari poterit,  
quin ex pacto Vasalli cum agnatis, quo de consensu eorum in op-  
pigno-





pignorationem actum fuit, idem ius creditori pignoratitio nascatur, ac si ipse cum Vasalli agnatis contraxisset.

a) ROSENTHAL de feudis Cap. IX. membr. I. conclus. 18.

§. 40.

CONSENSV AGNATORVM NON OPVS EST, SI DE TRADITIONE FEVDI NOVI ET ALIENABILIS IN PIGNVS AGITVR.

Ea vero in parte multum agnatorum consensus a consensu domini recedit, quod hic in oppignorationem omnium feudorum maxime necessarius fit; (§. 29.) ille autem tantum in quibusdam accedere debeat. Haecque diuersitatis ratio ex diuerso fundamento, ex quo necessitas consensum vtriusque impetrandi nascitur, sufficienter apparet. Sine promissione domini enim a Vasallo feudum oppignorari non posse, ex ipsa qualitate domini directi fuit, quod quidem in nullo vnquam feudo deesse potest, siquidem diuisio domini directum inter & vtile sub lege specialis mutuae fidelitatis essentialiam feudi constituit, (§. 1.) essentialia autem negotii saluo negotio nunquam immutari possunt. Qualemcunque ergo feudum naturam habeat, dominus tamen feudi adfit necesse est; sine domini permissione autem feudum alienare aut pignori dare nefas est. E contraria autem parte agnatorum ius, consensum suum impetrari oportere, oritur ex iure succedendi iis vi primae inuestiturae a domino concesso, (§. 31 — 33.) Sequitur ergo sua sponte, vt, hoc iure deficiente, necessitas etiam consensum eorum perendi existat nulla. Ius vero succedendi agnatorum excludi plane posse, facile cum exinde colligere poteris, quod successio feudalis tantum ad naturalia feudi pertinet, quae salua huius essentia immutari possunt





sunt, tum etiam a posteriori, siquidem ab initio nullam de Iure Longobardico in feudis existisse successionem, ipsae leges edocent, nec etiam hodie de Iure Saxonico eorum aliqua est successio, nisi simul fuerint de feudo inuestiti. Ius autem agnatorum succedendi exulat plane in *feudis nouis*, quae quidem non hereditate ad Vassallum peruenerunt, sed quorum ipse primus existit acquirens. Etenim, cum feuda concedi soleant tantum acquirenti & masculis ab eo legitime descendantibus; per se patet, quod eorum, qui primo acquirenti a latere iuncti sunt, nullum ius succedendi esse possit, nisi iis speciatim lege inuestiturae adiecta fuerit prospectum, vnde brocardicum illud notissimum: *collateralium* (primi scilicet acquirentis) *nullam in feudo dari successionem a*. Quibus ergo cum nullum ius in feudo nouo competat, neque vlla ratio potest excogitari, propter quam Vassallo, cui a domino data est concessio, consensu eorum opus sit ad oppignorationem noui feudi; potius huius traditio in pignus maxime erit valida, vassallo cum domino ea de re consentiente. Neque obstat, filiis primi acquirentis dari ius succedendi vi primae inuestiturae patri de feudo factae; cum eos ad facta patris omnia praestanda de Iure nostro feudali per indirectum adigi, supra pluribus euincere studui (§. 31.), autoritate capituli II F. 45. ductus. Dein vero, quod ad feuda alienabilia attinet, quorum alienatio vi pacti inuestiturae adiecti vassallo possessori data est, neque ibi agnatis ius succedendi competit, nisi sub hac conditione, dummodo feudum non fuerit a Vassallo alienatum. Itaque possessori feudi de eiusmodi feudo inconsultis agnatis disponere licet pro arbitrio, adeoque illud in pignus tradere aut alienare non prohibetur. Agnati nullo iure contradicendi gaudent, neque alienatione a Vassallo facta vilo modo laeduntur; qui enim suo iure vtitur, neminem laedit b).

K 3

here.





hereditariorum etiam consensum agnatorum in oppignorationem tuto negligi plurimi Doctores Iuris feudalis docere solent. At vero eorum intuitu ius agnatorum maxime radicatum esse, mihi persuasum habeo, hincque a communi Doctorum sententia recedere non dubito. Hereditaria enim feuda tantum eatenus sunt impropria, quatenus circa modum & ordinem succedendi, vel intuitu personarum, (ita ut praeter masculos feminae quoque admittantur, vel simul etiam ratione modi succedendi, (ita ut relicto ordine succedendi legitimo feudali succedatur modo allodiali,) aliquid de hisce immutatum est. Non quidem me fugit, quod tertiam hereditariorum feudorum speciem Doctores sibi fingere soleant, si scilicet circa alienationem & de feudo dispositionem eadem, quae de allodio, data est vasallo facultas c). Ast ut ego quidem arbitror, minus recte haec adhibetur denominatio, potius haec hereditarii feudi species cum feudo alienabili coincidit, ita ut feudo hereditario qualitas illud libere alienari posse tantum addita sit. Quod vero feudum si velis appellare feudum absolute & mere hereditarium; de eo idem, quod de alienabili, differere, de reliquis vero hereditarii feudi speciebus agnatorum causam defendere non dubito. Retinent enim in reliquis partibus, si a personis succedentibus ordineque succedendi discesseris, communem feudorum naturam, quae, nisi expresse mutata sit, omnino servata esse censei debet d). Quae cum ita sint, non potest non agnatus, cui ius succedendi in feudo hereditario competit, concupiscere, ut, quoties Vasallus actum velit suscipere, quo ius ipsius succedendi interverti potest, consensus eius, quatenus ei praecudicium inferri potest, petatur; hincque diffiteri nequeo, quod, quoties de oppignoratione feudi hereditarii seu mere seu mixtim talis vlla agnatorum existura est obligatio, toties horum consensus sui iuris renunciatio antecedere debeat.





- a) MÖLLER VI. pr. D. F. Cap. XVI. Dist. II.  
b) Relege ea, quae hac de re pro scopo suo copiosius egit THOMASIVS de feudo alienabili §. 37.  
c) MÖLLER VI. pr. D. F. Cap. IV. D. 15.  
d) Argumento II F. 2. 3.

## §. 41.

QVAESTIO, CVI FEVDVM OPPIGNORARI POSSIT,  
DISCVTITVR.

Impetrato iamiam consensu domini & agnatorum seu eorum, qui de Iure Saxonico horum quasi loco substituuntur, simultanee inuestitorum, eatenus erit traditio feudi in pignus non licita solum, verum etiam valida in domini horumque praeiudicium. Sed ne alia ex ratione validitati oppignorationis quid obstat, non omittenda mihi erit quaestio, cui creditori feudum a Vasallo in pignus tradi possit? Ego vero hic singularem personae qualitatem lege feudali supponi haud memini, ideoque omnem eum, qui libera rerum suarum administratione gaudet, neque lege ciuili, quo creditor alterius minus esse possit, prohibetur, idoneum pignoris in feudo constituti creditorem esse posse iudicarem. Nec obiecti qualitas, scilicet quod feudum hic in pignus detur, me determinare poterit, ut alia hic principia, quam quae circa bonorum allodialium oppignorationem obtinent, applicare debere, aut personam ad acquirendum feudum habilem requiri statuam. Pignus enim, cuius nomine feudum creditori a Vasallo datur, non induit qualitatem feudalem, sed allodiale manet, Vasallum debitorem inter & dominum nexu feudali saluo permanente a). Hinc cum nobis de acquisitione allodii non feudi sermo sit, quare alia principia hoc loco surrogari debeant, non intelligo. Longius adeo progredior, ita ut cum,





eum, qui per leges speciales a facultate emendi immobilia destituitur, nihilo tamen minus feudum in re immobili constitutum pignoris nomine accipere posse defendam. Vno enim prohibito non alterum simul pro uetito habendum esse constat, praesertim si ratio diuersitatis, ut hic quidem, in aprico est. Statuti enim, quod certum fortasse genus hominum a iure emendi immobilia excludit, haec sine dubio erit ratio, ne dominium rerum immobilium ad eos transferatur; qua ergo ratione, dum res immobilis in pignus traditur, non incidente ipsa quoque legis siue statuti dispositio huc trahi nequit. Obiicies fortasse, deueniri per traditionem rerum immobilium in pignus ad earum alienationem; Recte; at inde non sequitur, eas creditori pignoratitio addici oportere; potius eae subhastari eique addici possunt & debent, qui maximum offert pretium. Ita, ut ex Romanorum Iure exemplum adducere liceat, non licuit quondam magistratibus maioribus in prouinciis, durante magistratu, rem in commercio existentem emere sibi habere, sub poena iacturae rei emtae & quadrupli; b) non vero prohibebantur pignus accipere, teste Icto Modestino c), qui, in quorum finibus, inquit, emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur. Aliter vero sentiendum esse haud dissimulo, si lex specialis quosdam non solum ab acquisitione domini rerum immobilium, sed etiam ab omni earum possessione plane arceat prohibetque. Tunc enim, quod hisce feudalis fundus in pignus licite tradi non possit, certum est ac indubium d).

a) Haec quidem maxime praecipua differentia est feudi oppignorati ab eo, quod pignoratitium audit, de quo legi meretur Commentatio SIEGELII de feudo pignoratitio re fundamenti & utilitatis egena.

b) l. 46. D. de contrahenda emtione.

c) l. 24. D. de pignoribus.

d) Quae





d) Quae hic generaliter posui argumenta ac principia, ea quidem speciatim applicare studuit ВЪННМЕР in diss. de diuerso hypothecae & pignoris iure Cap. I. §. 7 & 11., Cap. II. §. 7., vbi imprimis, quatenus forensibus & Iudaeis res immobiles pignori accipere legibus nostris permittatur, peretudite disquirat.

## S. 42.

TRANSITVS AD EA QVAE DE IVRE MECLENBVRGICO CIRCA  
TRADITIONEM FEVDORVM IN PIGNVS OCCVR-  
RVNT SINGVLARIA.

Sed ne ipse terminos finesque meae commentationi praescriptos transgrediar, vela mihi esse contrahenda animaduerto, eaque, quae de Iure Communi necessario ad validam feudorum oppignorationem requiri supposui, sufficere volo, siquidem reliqua, quae hic omissa sunt & forsan addi potuissent, facillime mihi ex generalioribus Iurisprudentiae praeceptis, praesertim ex regulis doctrinae de pactis & de pignore, aut si maus ex analogia Iuris reperi simulque decidi posse visa sunt. Sicuti vero Icti dedecus est, iura peregrina non ignorare, in Iure autem patrio & domestico male versatum esse; ita etiam ego, quamuis visu forensi Iuris patrii leuiter tantum hucusque imbutus, non possum utique nec volo intermittere, quin pauca de oppignoratione feudorum Mecklenburgicorum singularia, quatenus mihi haec ex Constitutionibus Iuris nostri innotuerunt, hoc loco addam. Quamuis enim tantum abest, ut Iuri Longobardico suam in terris Mecklenburgicis denegarem autoritatem, ut eam potius maximam esse, aliis forsan inuitis, defendam; a) certissimum tamen est, illud non posse vim suam in decidendis causis feudalibus exserere, nisi quatenus leges speciales, siue scriptae, siue non scriptae, deficient; quas vero ante omnia consulendas esse notissima Iuris Principia edocent,

L

a) De





2) De vsu eius in Megapoli adfatim testatur Edictum Ducis FRID. WILHELM I d. a. 1704. vbi verba; *damit nicht der auswärtige Urtheilsfasser zu Abfassung einer deren in unsern Herzogthümern und Landen bis ad publicationem einer von uns zu verfertigenden Specialen Lehn-Rechtes recipirten gemeinen Lehn-Rechten und beständiger Obseruance nachtheiligen Urtheil leicht verleitet.* Accedit quod in Ordinatione Dicasterii prouincialis & aulici d. a. 1622 P. I. T. IV. §. *Es soll der Landrichter, Dicasterium iubeatur omnimodo iudicare nach des heiligen Römischen Reichs gemeinen Rechten.* Ad quae autem quin Ius feudale Longobardicum referri debeat, ecquis dubitat? Euolui hic & legi meretur MÖLLER VI. p. D. F. Cap. I. D. II.

## §. 43.

SINGVLARIS ADMODVM EST NATVRA FEVDORVM MECKLEN-  
BURGICORVM EIVSQVE RATIO IN EO PONITVR,  
QVOD FEVDA SINT OBLATA.

Constat vero inter omnes, qui Iuris Feudalis patrii principia primis tantum labiis degustarunt, maxime alienam esse naturam feudorum Mecklenburgicorum ab ea, quae de Iure Communi feudis tribuitur. Maxime a scopo meo alienum est, vt singula ea pertractare, aut assertum exemplis pluribus illustrare contenderem; potius ego horum cupidos non possum non remittere ad Virorum de Iure nostro feudali immortaliter promeritorum integra opera a). Illud tamen neque superfluum omnino, sed potius e re mea esse arbitror, vt in eam, quae de hac singulari nostrorum beneficiorum natura dari solet, eamque quae forsari dari potest & deber rationem, breuiter inquirere periculum faciam, praesertim cum ea, quam plurimi Doctores ac interpretes Iuris Feudalis patrii suppeditare solent, minus recta aut adaequata esse videatur. Confugiunt scilicet  
fere





fere omnes, quorū quorū exstant, ad principium illud (fide demum historica comprobandum) quod feuda Megapolitana non ex beneficio Principum ceu dominorum feudi proficiscantur, defendunt e contraria parte, a nobilibus subditisque sua bona praediaque patrimonialia Principibus ea lege esse oblata, vt haec iis sub nexu feudali restituerentur; ita vt Principes referuato sibi ac retento in iis dominio directo illud, quod vtile audit, iis sub lege mutuae specialis fidelitatis concesserint. Inde porro recte sibi conclusionem formare posse videntur, quod vasallis, quorum quippe ex voluntate magis quam ex gratia dominorum feuda orta sint, etiam licuerit dominis quasunque demum voluerint, condiciones quasi praescribere. Haec reuera a vasallis sibi referuatas esse optimas quasque, praesumptio illis est Iuris & de Iure, propterea quod quilibet de re sua minimum sibi praedicaesse praesumi debet. Hoc itaque iamiam adductum Principium omne fundamentum est, ex quo, sicuti aliorum Germaniae feudorum, ita etiam nostrorum singularem admodum naturam vnice vt euincant, student. Ita de feudis totius Saxoniae inferioris hac indicatur ratione a PFEFFINGERO b) qui quidem, „vnde suspicor, inquit, pleraque feuda hisce in oris esse „oblata, proptereaque multum ex natura bonorum allodialium „retinuisse & ex hoc capite etiam libere Vasallos circa ea disponere „potuisse., Pariter de feudis Pomeraniae (ex analogia vero huius Iuris vicini etiam de nostris iudicandum esse statuunt) illud sentit MEYVS in consiliis c). Denique de nostris Meclenburgicis hoc Principium praeter alios permultos posuit ac defendit Generosissimus a BERNSTORFF in Comm. de singularibus Feudorum Meclenburgicorum Iuribus, d) vt & a BEEHR in Volumine de rebus Meclenburgicis e) conscripto.





- a) Inter hosce nominare liceat praeclarum illud opus a CAROLO HENRICO  
 WÖLLERO editum, in quo vsus practicos distinctionum feudalium praeser-  
 tim in Megapoli explicare sibi sumsit. Dein vero silentio non praetereundum  
 est Volumen de feudis Meclenburgicis opera TORNÖVII editum. Tum hoc  
 loco praesertim euolui meretur Viri Generosissimi a BERNSTORFF diss.  
 de singularibus feudorum Megapolitanorum iuribus. Denique autem egre-  
 gie admodum de Iure nostro feudali promeritus est Vir Illustris, fama me-  
 ritisque celeberrimus, ERNESTVS IOH. FRID. MANTZELIVS, Fautor  
 maximopere mihi colendus, tum dissertationibus eruditissimis, quibus speciales  
 materias Iuris patrii explicuit solide, tum opere nostris gratissimo, quod  
 edidit sub titulo; Ius Meclenburgicum Illustratum.
- b) PFEFFINGER in Vitriario illustrato Tom. II, Lib. II. T. I. PG. 929.  
 seqq.
- c) MEVIUS in Consiliis & Responsis Conf. 38 & 44.
- d) Cap. II. §. I. seqq.
- e) Lib. IV. Cap. V. PG. 539.

## §. 44.

INFIRMIS ADMODVM ARGVMENTIS INNITITVR  
 HOC ICTORVM ASSERTVM.

Ego vero, quod pace tot tantorumque Virorum dictum esse  
 volo, haud dissimulare possum, quod argumentum illud, quo ab  
 oblatione feudorum ad necessario singularem horum naturam ar-  
 gumentari solent, maxime mihi ficulneum esse, adeoque ipsi Va-  
 sallorum commodo, quorum tamen causa illud excogitatum esse  
 videtur, minime eo consuli videatur. Domestica enim, quod pri-  
 mo loco monere volo, veterum temporum historia tanta laborat  
 obscuritate ac incertitudine, vt ne de origine quidem prima feudo-  
 rum in nostris finibus certa existant vestigia, multo minus ergo de  
 qualitate eorum originaria certa fides haberi possit. Certe illud in-  
 gene





genue fatetur MÖLLERVS a). Vir alias rerum Meclenburgicarum peritissimus, dum, *»quid de nostris feudis, inquit, prouincialibus »sentendum sit, an ad data an vero ad oblata referri mereantur, in tanta »adhuc historiae nostrae obducta caligine tuto ac pro certo affirmari non »potest. Diuersae enim de eorum origine opiniones diuersa etiam de eorum qualitate peperere iudicia.«* Neque dissentientes quidem illud ipsos in dubium vocare posse, satis exinde apparet, quod non fide diplomatum aut coaenorum Scriptorum certitudinem thesis suae euincere studeant, sed tantum probabile illud esse opinionibus aliorum freti defendant, hinc non probare audeant, sed praesumere ament b). Quamuis vero illud mihi arroganter sumere non audeam, ut litem de nostrorum feudorum qualitate componere periculum facerem; illud tamen monere licebit, Principium illud, haec esse non data sed oblata, ficulneum admodum neque ita comparatum esse, ut extra omnem dubitationis aleam positum dici possit. Quodsi vero etiam illud tanquam verum ac indubitatum agnoscere, ideoque in sententiam dissentientium descendere haud recusarem: certe tamen non possum non affirmare, quod principio eiusmodi male consulatur Vasallorum emolumento. Quod enim dicunt, liberiores omnino & pinguiorem esse debere conditionem vasalli, qui feudum oblatum possidet, quam alius, qui feuda tenet data, si quidem quilibet rem suam in feudum offerens sibi maxime fauere, indeque de re sua propria iura maxime praecipua sibi suisque reseruasse iure praesumi potest; illud speciem quamuis aliquam praeseferre videatur, attamen si thesin hanc in examen vocare velis, non ita eam comparatam esse reperiens, ut ei calculum album adicere possit. Etsi enim feudum oblatum ratione modi constituendi diuersam a feudis datis hanc habet naturam, quod haec in re, quae domini in proprietate antea existit, illa vero in re, quae Vasallo antea





tea erat propria, constituentur; certe tamen per oblationem rei domino sub conditione infeudationis factam omne ius proprietatis ad dominum infeudatum deuolutum est; quod eo magis inde apparet, cum infeudatio fundi oblata non semper breui manu, seu vno tempore oblatio & infeudatio facta, potius vtraque saepenumero separatim, interuallo anni & diei intercedente peracta fuerit c), certissimo quidem iudicio, quod per hoc temporis spatium plena rei proprietates penes eum, qui rem infeudare promiserat, sine dubio existerit: Itaque eo ipso, quod res sub conditione infeudationis oblata a domino retrahitur tanquam feudalis, haec instar rei domino propriae considerari debet, (suo enim iuri dominii offerens adiecta conditione infeudationis renunciauerat) eaque eo momento, quo inuestitura facta est, pristinam allodiam qualitatem prorsus amisit, nouaque feudalis ei superaddita est. Quicumque vero haud inuitus negotium aliquod suscipit, ille in naturalia huius negotii omnia consensisse praesumitur, eumque contra interpretatio facienda est, si quid singulare a natura contractus recedens sibi deberi contendit. Qualitas ergo feudorum propria vi huius principii semper praesumenda est, vsque dum improprii quid reseruatum esse probari possit. Tantum vero abest, vt inficias irem, potuisse Vasallum, offerentem rem suam allodiam in feudum, optimas quasque sibi reseruare conditiones, vt potius eas ex ipsis documentis nonnunquam apparere largiar d). At eiusmodi reseruatione facta, certe ratio singularium feudi iurium non in ipsa feudorum oblatione sed in pacto & conuentione speciali quaerenda erit, & Vasallo, si quidem propter communem feudorum naturam contra eum militat praesumptio, semper incumbet probatio, eiusmodi iura sibi esse actu reseruata. Huic per se graui argumento aliud accedit non minoris ponderis & momenti, scilicet, quod feuda,





da, quae quondam domino feudi fuisse oblata, certo certius euinci potest, tantum non omnia haud sponte sua sed accedente quadam necessitate domino fuerint oblata ita, vt offerentes de singularia sibi iura stipulando ne vix quidem cogitare potuerint a), quod quidem & de feudis Imperii adeo maioribus, multoque magis de provincialibus dicendum esse monumenta sexcenta comprobant. Quo vero posito dubium illud, quasi offerentes quascunque condiciones sibi pro lubitu stipulari potuissent, necessario corruer. Omnia haec si mecum perpendo, recte ego mihi affirmasse videor, dum principium illud, quod dissentientes ab oblatis feudis tanquam ratione sufficienti singularis nostrorum feudorum naturae desumere solent, valde infirmum ac ficulneum & saluti vasallorum parum proficuum appellare ausus fui.

a) MÖLLER in *Vsu practico Distinctionum feudalium* Cap. IV. D. 8.

b) Vt ne a veritate hic aberrare videar, liceat mihi ad ipsa Virorum, quorum nomen alias maximi facio, verba provocare. Sic PFEFFINGER Vir de *Iuris Publici prudentia* optime meritis loco in §. antecedenti adducto de feudis Saxoniae inferioris *suspicitur* tantum, quod oblata sint, non autem pro vero ventilare illud audet. Quod speciatim ad feuda Meclenburgica attinet, de iis TORNOV in tractatu suo P. I. C. I. §. 10. testatur, „ea maxima ex parte praesertim antiqua oblata esse, non videtur dubitandum, „cum id non solum ex auctoritate Dn. STRYCKII feuda Meclenburgica in *Examine I. F. C. II.* quaest 6 oblata nominantis, sed & ex fide historica probabile est, „ Iidem in dissertatione BERNSTERFIANA oblatio feudorum nostrorum quod non certis superstruatur argumentis, sed praesumptionem simplicem pro fundamento ponat, satis luculenter termini adhibiti, vero simile est, alique hisce similes, praetermissis etiam examine ipsorum argumentorum, comprobant. Adhaec demum hisce quae Generosissimus a BEHR in loco, quem in Scholio §. anteced. suppediravi, in medium protulit; & reperies, cum vnicè ad auctoritatem Doctorum Iuris feudalis patrii, quorum vnus alterum sequitur, provocasse.

c) BÖE-





- c) BÖHMERI Principia I. F. L. I. S. I. C. II. §. 46. Schol. a.  
 d) Euolu, diss. BERNSTORFIANAM Cap. II. §. 4.  
 e) WOLFII Elementa Iuris feudorum Cap. I. §. 23.  
 f) Hanc in partem faciunt rationes, quas doctissime proposuit HERM. HENR.  
 AB ENGELBRECHT in Observationibus Selectis forensibus Obs. XVI.  
 Neque vero dissentientium sententiam facere suam volunt MÖLLER in Vsu  
 pratico D. F. Cap. IV. D. 8. TORNOV in tract. suo de feudis P. I.  
 Cap. I. §. II.

## §. 45.

VERA RATIO PRIVILEGIORVM FEVDORVM MECKLENBUR-  
 GICORVM IN OBSERVANTIA, POTISSIMVM IN IN-  
 DVLGENTIA PRINCIPVM NITITVR.

Nihilo minus tamen, hac quamuis ratione corruente, thesis manebit salua §. 43. stabilita, singularem admodum esse naturam feudorum nostrorum Meclenburgicorum; huiusque asserti ratio multo magis idonea, quam haec, quam reiecimur, dari posse videtur. Singula quidem feuda quod attinet, litterae inuestiturae seu speciale pactum dominum inter & Vasallum intercedens vnica existet ratio specialium eorum praerogatiuarum a). Ex litteris autem inuestiturae huic vel illi Vasallo liberaliter a domino concessis, quod idem ius singulare omnium omnino Vasallorum feudis commune sit, argumentari haud poteris, cum priuilegia tertio nullum ius tribuant, neque ad consequentias trahi debeant. Potius si de ratione specialis naturae feudorum Meclenburgicorum in genere quaeris, idem hic, quod Vir Celeberrimus AB ENGELBRECHT (loco in § anteced. n. f. citato) intuitu feudorum Pomeraniae, struxit, principium obtinere arbitror, scilicet, quod praerogatiuae eorum potissimum in priuilegiis a Principibus clementer Vasallorum ordini indultis simulque in obseruantia inueterata fundamentum suum habeant. Consuetudinis enim & obseruantiae (si vtramque syno-





synonymice adhibere licet) ratione feudorum magnam vim esse debere, ipsae leges nostrae iubent. Prouocare tantum liceat ad Ordinationem Prouincialem Politicam, quae quidem in titulo; *von Erbschaften*, sequenti disponit modo; *So viel aber die Lehn-Güter anlanget, damit soll es nach dem beschriebenen Lehn-Rechte und beständigen Gewohnheiten unser Fürstenthümer gehalten werden.* Quid manifestius hisce ex verbis apparet, quam quod ab ipsis Principibus consuetudo antiqua tanquam verus fons iurium circa feuda nostra singularium habeatur. Maxime autem & potissimum Vasalli haec priuilegia accepta debent indulgentiae Serenissimorum Ducum ceu dominorum directorum, qui quidem optime Vasallorum saluti consulere voluerunt, neque, concedendo iis priuilegia ardua aliisque Vasallis inaudita, de iure suo multum remittere dubitarunt. Non est, quod metuam, ne quis haec in dubium vocare audeat; testimonia enim vno plura exstant. Equis vasallorum litteras Reuerfales a Principibus quondam seculo XVI. & XVII. clementer statibus exhibitas, quis singulares postea latas Constitutiones, tum Resolutiones ad Gravamina benigne factas legere poterit, quin tot tantaque beneficia in Vasallos Principum clementia collata gratissima mente veneretur! Quibus vero si adiungas nouissimam illam transactionem d. a. 1755, ubique sane noua clementiae Ducum in Vasallos exstant vestigia, dum Duces Serenissimi iuribus suis, alias iis tanquam dominis directis optime quaesitis, quadam ex parte renunciare, iura autem Vasallorum adaugere non dubitarunt. Itaque non minus iure scripto quam lege non scripta seu consuetudinaria iura Vasallis data sunt singularia; semper tamen ea priuilegiis expressis aut saltem conuiuentiae Principum tanquam dominorum directorum deberi, dubio caret.

a) TORNOV de feudis Meclenburgicis P. I. Cap. II. S. I. §. 6.





## §. 46.

DE CONSENSV DOMINI IN TRADITIONEM FEVDORVM  
IN PIGNVS DISPONVNT REVERSALES  
DE A. 1572.

Sed, ne filium Commentationis meae relinquere, ac in aliena excurrere videar, hic subsistam eo lubentius, quo mihi iamiam via structa est, pluribus prosequendi singularia ea, quae circa traditionem feudorum Mecklenburgicorum in pignus occurrunt. De consensu quidem domini (quem vtramque paginam facere, si oppignorare velis feudum, supra monui) antiquissimam eam esse dispositionem arbitror, quae in Reuersalibus d. a. 1572. reperitur, vbi Principes clementissime promiserunt: *„zum achten wollen wir hinführo keinen von der Ritterschaft, der zu Ablegung seiner Schulden oder Wendung anderer obliegenden Noth sein alt Stamm-Lehn, so nicht auf dem äussersten Fall der Anwartung oder Eröfnung stünde, verpfänden, versetzen, oder auch zum Leibgeding vermachen wollte, vnsern Consens oder Willbrief weigern.“* Maxime notatu est digna haec a Principibus ceu dominis directis liberaliter facta promissio, quippe quae, vt mihi quidem videtur, fons est & scaturigo omnium earum, quae hanc ea de re excipiunt, Constitutionum, quare paulo diutius huic immorari licebit. Thesis vero, quae in capitulo Reuersalium iamiam adducto expressa est, hoc quidem inuoluit, quod domini literas suas consensuales nolint vafallis denegare, cum oppignorare velint feudum, causa tamen ab iis antea sufficienter cognita. Implicite autem simul latitat in eo, et ex thesi explicite posita per necessariam consequentiam deduci potest, confirmatio regulae Iuris Communis, quod, quoties de oppignoratione feudorum agitur, consensus Principis tanquam domini directi peti ac implorari debeat.





beat. Non nescio quidem multos hac de re aliter sentire, sibi que posterius illud, quod in capitulo nostro deprehendere mihi persuadeo, in eo haud latere ut defendant sibi sumere, ea potissimum ratione ducti, quod a denegatione consensus petiti non metuenda, (de qua quidem in Reuers. l. c. tantum explicite sermo est,) seu a necessitate non denegandi consensum petitum ad obligationem consensum petendi, tanquam a diverso ad diuersum, haud valeat consequentia a). At ego haud inidoneis plane rationibus adducor, ut consensum dominorum feudi directorum etiam in Megapoli tanquam necessarium requisitum licitae feudorum in pignus traditionis lege nostra supponi defendam. Si enim consuetudo feudorum pristina ita tulerat, ut haec domino inconsulto in pignus tradi, adeoque alienari potuerint, quare opus fuit, novam a domino feudorum fieri Vasallis promissionem, cum non esse consensum suum denegaturum? Certe, ubi talis promissio domini directi a Vasallis necessaria sibi esse existimatur, ibi non potest non formido hucusque existitisse, dominum feudi traditioni feudorum in pignus contradicendum esse, eique ut contradicat, indubitato licere. Formido autem haec nulla sane esset, si nulla domini consensum petendi necessitas, sed licentia, neglecta eius permissione feudum pignoris nomine obligandi existeret. Obligatio potius Vasallorum, quibus feudum oppignorare animus est, consensum domini implorandi eo manifestius ex legis nostrae dispositione fluit, cum Principes non indistincte, se Vasallo petenti suum concessuros esse consensum, sed tunc demum hunc iis non denegatum iri promittant, cum magna iustaque oppignorationis causa, aes scilicet alienum aliaque vrgens necessitas, a Vasallo doceri possit. Quibus quidem verbis cum domino inquisitio in causam oppignorationis expresse vindicatur, adeo ut, ea iusta a domino ac sufficienti agni.





agnita, ad oppignorationem a Vasallo deueniri possit, contra autem, si ea pro iniusta ab ipso declarata est, vasallus a traditione feudi in pignus plane prohibeatur; quatenam inde magis necessario fuit consequentia, quam quod a Vasallo causa oppignorationis antea decenter domino debeat esse proposita, quo inde dominus ad consentiendum adducatur. Nouum quidem, quo sententia nostra confirmatur, argumentum ipsa textus verba finalia, quae iuri agnatorum consulunt, subministrant. Quando enim Serenissimi Principes promittunt, se non denegaturos esse consentum suum decenter petitum, sed adiecta hac expressa conditione, si modo agnatis, ut ius protimisceos sibi competens exercerent, fuerit oblatum, necessario inde fuit, quod Principi consensuro antea de hac facta oblatione & ab agnatis denegato iuris protimisceos exercitio constare debeat sufficienter. De hoc vero Principibus non constare poterit, nisi praecesserit Vasalli de concedendo consensu petitum, quocum coniuncta esse debet demonstratio eius, quod oblatio agnatis antea facta sit, hi vero eam aut expresse aut tacite denegarint. Tantum ergo abest, ut hac Constitutione nostra necessitas domini consensum ad oppignorationem feudorum petendi Vasallis in Megapoli remissa sit, ut potius ea tanquam certa supponatur & ex iis, quae in hoc capitulo posita sunt, necessaria quadam consequentia fluant. Quibus si adiungas, quod Principes in antecessum promissionem de concedendo suo consensu tunc, cum iusta causa edoceatur, factam ad speciem hanc restrinxerint, nisi casus aperturae imminet, nouum illud est indicium idque certissimum, quod non pro lubitu sed accedente demum consensu, Principis seu domini directa feuda liceat Vasallis nexui pignoris subiicere. Hancque veram mentem verborum Principum promittentium extitisse testatur adfatim proiectum illud Iuris Feudalis b) ubi haec dispo-





disponuntur: »die altväterliche Stammlehne können und mögen ohne  
 »des Lehnherrn Consens vnd Bewilligung nicht alieniret werden. Li-  
 cet in notis super hoc proiecto omisso verborum, ohne des Lehn-  
 herrn Consens urgeatur, haecque verba inferi suadeatur, worinn wir  
 nach laut des 8 Art. der von unseru Vorfahren an E. E. Ritterschaft  
 gegebenen Reuersalen bewilligen und consentiren werden. Neque vero  
 aliter me sentire adducit, quod dicunt, a necessitate consentiendi  
 ad necessitatem consensum petendi tanquam a diuerso ad diuersum  
 non valere consequentiam. Quae enim iamiam suppositi, facile  
 iudicare faciunt, quod vbi ea pacto singulari promittitur, ibi quo-  
 que haec deesse non possit, vt taceam, vtrumque hoc non adeo esse  
 a se inuicem diuersum, vt vnum alterum tollat, vtrumque potius  
 simul adesse posse.

- a) Tale est argumentum, quod adhibet Autor libelli appellationis Graua-  
 minum, in Fasciculo rerum Mecklenburgicarum d. a. 1717—1718. Fasc.  
 IV. pag. 23.  
 b) Tit. XX. art. 20.

## §. 47.

IDEM DE CONSENSV PRINCIPVM IN RESOLVTIONIBVS  
 AD GRAVAMINA PONITVR PRINCIPIVM.

Neque vero postea temporis Serenissimos feudorum dominos  
 directos a principio illo, quo peti consensum debere a vasallo op-  
 pignorante statuerant, recessisse animaduerto. Quamuis enim ordo  
 Vasallorum saepiuscule in comitiis prouincialibus fuerit conquestus,  
 vti ex Grauaminibus eorum a) apparet, sese grauatos esse eo nimi-  
 am, quod imponatur Vasallis omnibusque feudi possessoribus obli-  
 gatio, indistincte domini consensum petendi, nullo habito respec-  
 tu singularis feudorum Meclenburgicorum naturae, quod feuda-





etiam sine dominorum consensu aeri alieno sint obnoxia, resolutio tamen haec facta est a Principibus: „daß sie nur allein in den Fürstentümern die Consensus erfordern werden und wollen, da selbige de iure feudali & communi auch nach Inhalt der Reuersalen zu erbitten nöthig seyn.“ Itaque idem hic, quod longe antea Reuersalibus fuerat stabilitum, principium ratione consensus domini pro fundamento & basi ponitur. Neque vero fieri potuit, ut ratio illa singularis, propter quam Vasalli in Grauamine suo libertatem a necessitate domini consensum petendi urgent, Principes ad aliter decidendum compellere potuerit. Inter hanc enim qualitatem feudorum, quod aeri alieno sint obnoxia, eamque, ad oppignorationem feudi domini consensum petendi, obligationem nullus necessarius nexus subest; vnum alterum non tollit, vtrumque potius simul consistere potest; sufficit vasallum, qui propter magnum aë alienum a se contractum feudum oppignorare vult, de consensu domini certissimum ac indubium plane esse posse. Inde etiam, quod illustratio- nis causa adducere lubet, in proiecto Iuris Feudalis b) haec legantur verba: „und ob wohl in unseren Fürstenthumen und Landen die Lehn — — — Schulden tragen, so können doch daher die Lehne nicht veräußert werden, es sey denn, daß der Lehnherr — — — darinn gewilliget.“ COTHMANNVS etiam Vir ille magni nominis & in Iure nostro verfatissimus in Consiliis suis c) testatur; quod, licet in Megapoli plurium annorum vsu & consuetudine receptum sit, ut feuda aeri alieno sint obnoxia, vel ob aë alienum in solutum dentur vel vendantur vel qua alia ratione alienentur, toties tamen, quoties oppignorationes vel venditiones fiunt, domini feudi agnatorumque consensus adhiberi soleat.

a) Resolutiones ad Grauamina Class. VI. Grayam 8.

b) Tit. XX. arr. 5.

c) COTHMANNVS in Consiliis Vol. III. Resp. 18.





## DE CONSTITVTIONE DVVIS CAROLI LEOPOLDI

D. A. 1717. ET 1718.

Singulares autem ac speciales aliae Constitutiones, quibus aliquid de oppignoratione feudorum fuerit dispositum, haud extare memini, si scilicet discesseris a Constitutione illa, quam DVX CAROLVS LEOPOLDVS gloriosissimae memoriae tempore motuum tunc existentium anno 1717. publicari, dein vero anno subsequenti renouari iussit; quo quidem in edicto semel pro semper prohibet, quo feuda minus a Vasallis oppignorentur sine speciali Principum, qua dominorum directorum, consensu atque autoritate. Constat vero, ordinem Vasallorum se maxime grauatum esse ea Constitutione existimasse; tum quoniam haec Constitutio sine praeuia cum iis deliberatione fuerat condita, tum praecipue, quoniam ius, libere sine domini autoritate oppignorandi feuda, sibi deberi persuasi erant. Appellatione ideo ad Iudicium Imperii Aulicum facta a) non fieri potuit, quin, dum Serenissimus DVX CAROLVS LEOPOLDVS in contumaciam contra se ab Imperii Iudicio Aulico procedi sinebat, lis pro contestata & libellus vasallorum appellatorius pro confessato acciperetur b), cuius denique haec exstitit consequentia, vt ipsa Constitutio in contumaciam pro nulla vi autoritatis Caesareae declareretur c). Eo abhinc tempore, quin Reuersales pro norma, an & quatenus domini consensus requiratur, agnoscendae sint, non dubitarum fuit. Sicuti etiam ipsissima verba Caesariae Resolutionis allegatae in decidenda hac causa ad *des Landes-Gebrauch und Herkommen, auch die dersfalls bey dem Vergleich von anno 1701. gedruckten Landes-Fürstlichen Reso'lution ad Graum. 8. Class. 6. in additamentis, reducunt* hincque Reuer-





§. 48.

DE CONSTITVTIONE DVVIS CAROLI LEOPOLDI  
D. A. 1717. ET 1718.

Singulares autem ac speciales aliae Constitutiones, quibus aliquid de oppignoratione feudorum fuerit dispositum, haud extare memini, si scilicet discesseris a Constitutione illa, quam DVX CAROLVS LEOPOLDVS gloriosissimae memoriae tempore motuum tunc existentium anno 1717. publicari, dein vero anno subsequenti renouari iussit; quo quidem in edicto semel pro semper prohibet, quo feuda minus a Vafallis oppignorentur sine speciali Principum, qua dominorum directorum, consensu atque autoritate. Constat vero, ordinem Vafallorum se maxime grauatum esse ea Constitutione existimasse; tum quoniam haec Constitutio sine praecua cum iis deliberatione fuerat condita, tum praecipue, quoniam ius, libere sine domini autoritate oppignorandi feuda, sibi deberi persuasi erant. Appellatione ideo ad Iudicium Imperii Aulicum facta a) non fieri potuit, quin, dum Serenissimus DVX CAROLVS LEOPOLDVS in contumaciam contra se ab Imperii Iudicio Aulico procedi sinebat, lis pro contestata & libellus vafallorum appellatorius pro confessato acciperetur b), cuius denique haec exstitit consequentia, vt ipsa Constitutio in contumaciam pro nulla vi autoritatis Caesariae declareretur c). Eo abhinc tempore, quin Reuersales pro norma, an & quateus domini consensus requiratur, agnoscendae sint, non dubitarum fuit. Sicuti etiam ipsissima verba Caesariae Resolutionis allegatae in decidenda hac causa ad *des Landes-Gebrauch und Herkommen, auch die dierfalls bey dem Vergleich von anno 1701. gedruckten Landes-Fürstlichen Resolution ad Graum. 8. Class. 6. in additamentis, reducunt* hincque Reuer-





Reuerfalium d. a. 1572. tenorem & dispositionem conseruari iubent. Nec negare quispiam poterit consensum domini directi a Vassallis etiam durantibus adhuc ipsis controuersis imploratum esse, licet a DVCE Serenissimo simpliciter denegatus a Caesare suppletus fuerit, cuius rei exempla vno plura exstant in Decisionibus iustissimis, quas vocant, imperialibus d).

- a) Libellus Grauaminum exstat in Fasciculo IV. rerum Meclenburgicarum ad annos 1717 — 1718.
- b) vid. app. documentorum Decis. Iustiss. Imp. pag. 307. ibique Caesarea Resolutio d. d. 21 Oct. 1721. N. 281.
- c) ibidem pag. 476. Caes. Ref. d. d. 29 Oct. 1724. N. 382.
- d) Class. II. T. IX. s. 4 — 5.

§. 49.

NOVISSIMA IVRIS NOSTRI DISPOSITIO DE OPPIGNORATIONE FEVDORVM EST EA, QVAM HABET  
TRANS. NOVISS.

Denique autem incertitudo Iuris nostri patrii, si qua de hac materia existit, eo simul tempore, quo diu exoptata requies ac pacatio patriae nostrae clementia DVCEIS CHRISTIANI LVDOVICI Patris Patriae, cuius memoriam remotissimi posterorum sanctissime colent ac venerabantur, simul desit, dum in transactione nouissima res quidem ita decisa est, vt dubium adhuc superesse possit nullum. Non enim dubitarunt Principes etiam hic de iure suo, quod iis tanquam dominis directis nulla poterat denegari ratione, in fauorem suorum Vassallorum hoc quidem remittere, quod liberum plane hisce competat ius bona sua feudalia, si e re sua esse illis videtur, in pignus alii tradendi, ita tamen, vt restrictio





strictio temporis ad XX. annos fuerit adiecta. Ita enim ipsa verba sonant a). „Es soll auch einem Ieden unbenommen seyn, sein Lehngut „auf so viele Jahre, als er es seinen Umständen nach convenable erachtet, „jedoch höchstens nur auf 20 Jahre zu verpfänden, welche Zahl der Jahre „von Uns oder Unserer Lehn-Cammer nicht eingeschräncket oder vermin- „dert werden soll.“ Qua ergo lege iamiam in perpetuum valitura existente, tuto thesis haec formari poterit, tum quod Vasallo non opus sit domini consensu ad traditionem feudi in pignus, quousque oppignoratio spatium XX annorum non excedit, (Liberum enim ius Vasallorum esse dicitur, quale esse desineret, si domini consensu supponeretur, & ad huius voluntatem facultas oppignorandi adstricta esset) tum vero, quod, si hocce tempus praeterlapsum est, aut paciscentes vltra XX annos oppignoracionem valere volunt, aequae ac de Iure communi domini consensus peti debeat. Neque autem dubito, quin ea, quae in eadem transactione b) ratione alienationis feudorum disposita leguntur, scilicet, quod, dum feudum alienatur, statim inito contractu certe intra annum & diem, a momento, quo contractus perfectus est, computandum, semper autem ante feudi traditionem consensus domini, oblato simul instrumento contractus, peti debeat, quin haec, inquam, verba etiam ad traditionem feudorum in pignus trahi oporteat. Oppignoratio enim alienationi de Iure feudali & communi & nostro c) similis habetur, adeoque aequiparatur, vt quatenus de ea nil singulare dispositum est, sub hac ea contineatur eademque circa eam attendenda sint, quae de hac leges praescribunt. Vasalli itaque erit, iis in speciebus, in quibus ad oppignoracionem feudi domini consensus ei opusest, domino instrumentum contractus pignoratitii intra annum a momento contractus perfecti offerre, & ab eo, vt in oppignoracionem consentiat, suis petere precibus.

N

e) Lan-





- a) *Landes Grundgesetzlicher Erbvergleich* d. a. 1755. §. 451.  
 b) *Ibidem* §. 472.  
 c) *Reuerf.* d. a. 1572. art. 8.

## §. 50.

EXPLICANTVR DIFFERENTIAE IVRIS COMMVNIS ET MECLEN-  
 BVRGICI RATIONE CONSENSVS DOMINI IN  
 OPPIGNORATIONEM FEVDORVM.

Magnam vero Iuris feudalis nostri patrii a Iure Communi differentiam hanc esse facile reperies, quod hoc indistincte consensus domini tanquam formam essentialem omnis feudorum oppignorationis supponat, illud vero tunc demum, si oppignoratio XX. annorum spatium transgreditur, domini auctoritatem requirat, ut non valida solum sed etiam licita euadat. Dein vero ratione qualitatis huius consensus nouum idque magnum intercedit discrimen, quod de Iure Communi ab arbitrio Domini id nunquam non dependeat, (quodsi etiam ardua iustaque causa, quare feudum in pignus dare velit, a Vasallo doceri possit) malitne consentire an dissentire; e contraria autem parte de Iure Meclenburgico consensus domini certa ex ratione sit necessarius, alia autem ex parte voluntarius. Necessarius enim tunc erit, cum ardua causa subsistit, propter quam vasalli interest, ut sibi liceat, feudum pignoris nomine obligare, non solum si aere alieno Vasallus premitur, verum etiam alia quadam incidente necessitate. Quae quidem argumento Reuersalium d. a. 1572. §. 8. affirmare haud dubito, cum harum auctoritas in transactione nouissima a) a Ducibus plane agnita sit, eiusdemque habeatur roboris, ac si hae verbotenus transactioni ipsi inferrae essent. In voluntate autem domini tunc demum ipsius consensus erit positus, si praeter causam necessitatis aut aeris alieni





alieni in Reuerfalibus nominatam, aut si ratione feudi, de cuius traditione in pignus sermo est, casus aperturæ imminet b), consensus domini fuit imploratus. Vtraque enim specie existente domino licet consensum suum denegare aequè ac de Iure Communi hocce ius domino simpliciter fuit concessum. Tum vero hanc quoque Iuris patrui a communi reperies differentiam, quod vi huius vasallo nullum ius competat cogendi dominum, ut precibus eius annuere ac in feudi oppignorationem consentire debeat (quod pluribus probare studui supra §. 22.) secundum autem placita Iuris nostri eiusque analogiam non negandum sit, quin Vasallus tunc, cum domini consensus necessarius est, si tamen denegatur, iustam grauaminis causam habeat. Denique forsan etiam in eo quaerent discrimen Iuris Communis & Mecklenburgici, quod de eo tacitus aequè ac expressus domini consensus sufficiat, de nostro autem expressus necessario requiratur; argumento Proj. Iuris Feudalis Mecklenburgici c) ubi ita; *„Und soll hinführo die Bewilligung des Lehnherrn und der Agnaten ausdrücklich gesucht und gebeten werden, und der Lehmann, so die Lehgüter alieniret, sich damit, daß der Lehnherr — — — tacite darinn gewilliget, nicht zu behelfen haben, noch durch solchen tacitum consensum die Veräußerung zu iustifiziren befugt seyn.„* Sed Proiectum illud Iuris feudalis Patrui dum in terminis Proiecti substitit, nullam vim legis hactenus accipit, quare nec secum coniunctam habere potest ullam vim obligandi. Constat potius, edito DVVIS FRIDERICI WILHELMI anno 1704. promulgato allegationem huius Iuris in vim futurae decisionis negotiorum iudicialium plane sub poena 50 thalerorum prohibiram esse d) adeoque omnem vim ac efficaciam legis ei plane deesse. Quare, dum alibi, in Iure Patrio idem sancitum esse, legere haud memini, regula Iuris Communis, quae taciti dominorum consensu,





sus eandem vult esse potestatem, quae expresso tribuitur, hic qua-  
 re non obtineat, nullam video dubitandi rationem. Ceterum vero  
 Principes nostri clementissime promiserunt e) quod litteras consen-  
 suales decenter petitas ac concessas retardari nullo patiantur modo,  
 soluta tamen antea, quae solui debet, ac consuevit taxa feudali. Se-  
 cundum Reuersales vero taxa litterarum consensualium pro oppi-  
 gnoratione feudorum concessarum haec stabilita est, vt pro centum  
 thaleris eius sortis, pro qua feudum pignori datur, dimidia pars  
 thaleri solui debeat f) quae quidem taxa, vti transactione nouissi-  
 ma constitutum est g) speciali quadam constitutione pro nostra  
 temporum conditione, ita, vt nostrae hodiernae monetae simulque  
 moderni praediorum pretii ratio habeatur, accuratius determinan-  
 da erit. Interimistice autem, donec ea scilicet nondum promulga-  
 ta sit, taxa Reuersalium obtinet; quod vero vno forlasse aut altero  
 in casu, ea neglecta, solutum est, vterius ad consequentias non  
 trahitur.

a) Transactio nouissima §. 434.

b) Quae quidem species in §. 31. Reuers. d. a. 1621. de nouo posita esse legitur.

c) TORNOV de feudis P. I. pag. 144. seqq.

d) Art. 20. Tit. 20.

e) Transact. nouiss. §. 465.

f) Reuersales d. a. 1572. §. 7.

g) Transact. nouiss. §. 438 — 439.

### §. 51.

BILIORVM VASALLI CONSENSVS NEQVE DE IURE  
 MECKLENBURGICO REQVIRITVR.

Expositis hucusque breuiter iis, quae quoad domini consen-  
 sum, quatenus ad validitatem oppignorationis feudorum requiri-  
 tur





tur, aliter de Iure Mecklenburgico quem de Iure Communi sese habere mihi visa sunt, (saluis omnino iis, quae forsan adiici debuissent.) liceat mihi pauca adhuc addere de consensu eorum, quibus ius succedendi in feudis nostris competit, ut quatenus ille ad validam in horum praeiudicium oppignorationem feudorum supponatur, constet. Itaque, quod ad liberos Vasalli feudum in pignus tradentis, seu in genere ad omnes ab eo descendentes masculos a) attinet: horum quidem consensu in alienationem ideoque in oppignorationem feudi an patri seu adscendentibus opus sit, vexatissimam Iuris nostri quaestionem esse, ideoque Iudicia & Responsa in decidendo hanc quaestionem maxime variare, testatur Illustris MANTZELIVS in Iure suo Mecklenburgico illustrato b). Ego vero non possum, quin horum auctoritatem, dum feuda a parentibus oppignorantur, requiri contendam nullam. Ratio praecipua me eo determinans haec quidem erit, propterea quod textus Iuris feudalis Longobardici, vi cuius liberi indistincte simul heredes allodii & successores feudorum esse iubentur, simul cum Iure Longobardico apud nos sine dubio in subsidium obtinente pro recepto habendus sit; siquidem ei per contrariam legem domesticam vel scriptam vel non scriptam hucusque nondum derogatum esse probari potest. Dum vero vi huius Constitutionis filii allodium a feudo separare nequeunt, sed utrumque sibi sumere aut repudiare iis tantum licet: necessaria quoque inde aequae de Iure Mecklenburgico ac de Communi Iure nasceretur consequentia, quod liberi facta patris de feudo omnia etiam inuiti praestare teneantur c). Quae cum ita sint, nulla doceri potest ratio idonea, quare oppignoratio feudi a patre facta ab hac regula excipi debeat. Non quidem me fugit sanctio illa Proiecti I. F. patrii, qua filiis datur facultas, *des Lehns ohne die Erbschaft sich anzumassen* d). Sed reperere sufficit, quae





iam antea monui, proiectum illud omni legis autoritate destitui, & ideo, quoniam nondum promulgatum est, & etiam propterea quod expressa lege FRIDERICI WILHELMI eius vñs & allegatio in vim decisionis plane est prohibitus.

- a) Feminarum enim neque de Iure patrio datur successio, nisi specialis, quare ad eam admittantur, existat ratio, e. g. quod lege inuestiturae iis simul prospectum sit, vti de feudis Farchentin & Hinzenhagen testatur TORNOY de feudis P. I, S. II. §. 26. pag. 211. MANZEL de Iureconsultis in Iure Mecklenburgico errantibus S. III. §. 6.
- b) MANZELII Ius Illustratum Mecklenburgicum Cent. III. Ind. LXXIII.
- c) COTHMANNI Consilia & Responfa Vol. I. Resp. 3. n. 29. itidem Resp. 2. n. 176. seqq.
- d) Tit. 6. art. 6. & 7.

§, 52.

AGNATORVM CONSENSVS ACCEDAT NECESSE EST AD  
VALIDAM FEVDI OPPIGNORATIONEM.

De agnatis autem aliter omnino sentiendum est de Iure etiam Mecklenburgico, ita vt dubitari nequeat, quin horum consensus oppignorationi feudorum adesse debeat, si alias hanc iis quoque nocere & ad eos quoad effectus suos peringere velis. Ab omni contradictione hoc assertum liberum est, tum propterea quod de receptione Iuris Longobardici, (de cuius Sancito supra egimus) in terris Mecklenburgicis abunde constat, tum vero, quoniam ipsa lege domestica ius agnatorum iis omni ex parte expresse reseruatum est. Ita enim litterae Reuersales sanciunt, (*„doch das dasselbe den nechsten Agnaten zuvor angeboten werde.“*) a) sicque rem, quae propter naturam singularem ac anomolam feudorum Mecklenburgicorum alias dubia videri posset, ab omni contradictione liberant. In ea ramen a Iure nostro patrio differt commune, quod vi huius nulla





nulla agnatorum detur consentiendi obligatio, de nostro autem domestico Iure iis nil relinquatur, nisi ut aut consentiant alienationi & oppignorationi a Vasallo possessore faciendae, aut ipsimet feudum sibi oblatum emant vel pignori accipiant; lex enim pro sufficienti declarat, feudum iis praecipue offerri. Contra autem, si utrumque ab agnatis recusatur, ita ut nec oppignorationi consentire, nec ipsi feudum in pignus accipere velint, tacite consensisse censentur; eorumque nihilominus facta protestatio tanquam factio contraria nullam actui vim demere poterit. Vnde rectissime MÖLLER in Usu practico Distinctionum feudaliū b) iudicasse videtur, qui quidem, „in Megapoli, inquit, nostra agnatorum feudum ob aes „alienum alienandum & sibi ad emendum oblatum emere recusantem pro tacite consentiente habendum esse, ipsa feudorum nostrorum indoles ac natura haud obscure mihi euincere videtur.“ Neque autem contendere dubito, quin eo casu dominus consensum agnatorum pertinaciter consentire recusantium, in eorum contumaciam (si vasalli interest) supplere ac pro impertito eum declarare possit, supposito scilicet, quod ius praefertentiae exercere non lint c). Eatenus ergo consensus agnatorum de Iure nostro quodammodo necessarius dici potest, cum de Iure Communi tantum sit voluntarius. Quoniam vero nimis Vasallo molestum foret, in primis si magna adest multitudo agnatorum, ut cum singulis de suo consensu agar; Cancellariae Mecklenburgicae feudalis usu & more receptum est, ut per publica proclamata, quae Vasalli est impetrare, omnes ii citentur, qui ius aliquod de feudo alienando aut pignori dando ex quocunque capite vel causa, siue agnationis seu simultaneae inuestiturae, seu partitiae successione, seu ex capite protimifcos, retractus & reuocationis, ne multa, vnde quaque illud nascatur & originem trahat, sibi vindicare aut tribuere possunt, in  
termi-





termino aliquo praefixo compareant, sui iuris docendi seque simul declarandi causa, num iuri suo praefertentiae in fauorem eius, cui feudum a Vafallo oppignoratur, renunciare, an iure suo ipsi vti malint? Quem vero terminum si negligunt, tacite suo iuri renunciassentur, neque ad haec iura renunciata iis regressus datur, simulac a Cancellaria feudali decretum, quo, qui non comparuerunt, praeccluduntur publici Iuris factum est. Non e re mea esse videtur, vt, quae TORNOVIUS Vir Iuris nostri peritissimus d) ea de re tradit, hoc loco omitram. Quae, inquit, ad reddendam suam declarationem „agnatis fit assignatio certi termini, ea est veluti interlocutoria, per quam Iudex pronunciat, quod citati amplius post terminum audiri non debeant; indeque transit in rem iudicatum, & efficit, vt post eius lapsum nulla amplius admittatur vltior disputatio aut tergiuersatio, nec actio, vtur protestatio fuerit in contrarium interposita“ e). Inde vero liceat mihi argumentum ducere, quod, de Iure nostro patrio ipsaque fori feudalis obseruantia, tacito agnatorum consensui eadem vis ac efficacia tribuatur, quae expresso, quare nullatenus attendi debet, quod in Projecto I. F. M. f) dispositum legitur de necessitate consensus agnatorum expressi. Noua autem differentia Iuris Communis & Mecklenburgici haec forsitan esse videretur, si Projecto eidem g) fidem haberes, quod ibi agnatorum liberi ex consensu patris obligationem habeant, hic vero filii eorum inde nullatenus obstringantur. Sed nulla sane haec est differentia, potius propter principium Iuris Longobardici, de obligatione filiorum ad praestanda facta patrum in feudis, in Megapoli receptum omne dubium ex verbis Projecti oriundum plane corrui,

a) Reuerf. d. a. 1572. §. zum achren in fine.

b) Cap. XX. D. 6.





- e) Torno v de feudis T. II. pag. 63.  
 4) idem T. II. Cap. IV. S. I. §. 30. pag. 55.  
 c) Restitutio tamen in integrum ex capite ignorantiae, absentiae, minoris aetatis, cet haud deneganda esse videtur.  
 f) Tit. XX. art. 20. Verba exscripti supra in §. 50.  
 g) Tit. XX. art. 15.

## §. 53.

eorum, qui identitatem nominis et insignium  
 docere possunt, eadem est ratio  
 quae agnatorum.

Eadem, quae agnatorum, itidem ratio est in Megapoli eorum, qui cum defuncto siue eo, cui succeditur, eodem nomine iisdemque insignibus utuntur, licet agnationem ipsam alias probare nequeant, quippe qui, per singulare illud clementia Ducum Vasallis indultum privilegium, aequae in feudo ad successionem admittuntur, ac illi, qui agnationem suam probare possunt. a) Ita enim Principes clementissime sanciunt, *„dass in alten Lehnen, die Agnaten, seines Namens Schild und Helms seyn, wann sie sich schon sonst der Sippschaft halber nicht berechnen können, einander succediren mögen.* b) Quam maxime diuersum sit hac in parte Ius nostrum feudale domesticum a Communi, vix est, quod moneam, vnicum tamen illud adiciere lubet, quod vi huius sanctionis agnationis probatio nulla desideretur, (*Sippe enim denorat agnationem, uti Zippzahl computationem agnationis* c)) nisi ea per identitatem nominis & insignium, de Iure Communi contra nemo ad successionem tanquam agnatus admittatur, nisi se a primo acquirente sanguinem trahere luculenter possit deducere, hic itaque probatio ex identitate nominis & insignium leuem tantum praesumptionem efficiat. Idem vero ius successionis in feudo cum beneficio Iuris iis debeat, quod agnatis, non potest fieri, quin eorum quoque eadem existant iura circa interpositionem consensus in traditionem feudorum in pignus. Diuersitas enim concessionis, cum agnatis suum ius succedendi vi primae inuestiturae, hisce autem immediate a lege debeat,





beat, diuersa hic iura nequit gignere. Quae cum ita sint, male sibi consulat creditor feudi pignoratitius, si consensum eorum, qui, vi Iuris Reuersalibus concessi, Iure certo succedendi saltem in actu, vi aiunt, primo gaudent, negligit neque eum a Vasallo impetrari curat. Quod enim deuoluta ad eos aliquando successione, traditio feudi in pignus a Vasallo possessore facta in eorum praeiudicium haud vergere queat, ipsa iuris, quod iis in feudo competit ratio, satis edocere videtur. Eadem autem ratione ductus recte contendere videor, quod, si publica proclamata (de quibus §. antec.) a Vasallo feudum oppignorante impetrata fuerunt, haec quoque ad agnatos vi identitatis nominis ac insignium successionem sibi aliquando vindicatuos simul pertineant, ideoque cum vigilantibus tantum iura scripta sunt, necesse esse, vt in termino praefixo sui iuris conferuandi causa compareant; alias enim certe poenam negligentiae ferent, eorumque consensus pro tacite interposito censendus est, adeoque non potest non a domino feudi suppleri.

a) Reuers. d. a. 1621. §. 24.

b) Ius illud eminentis feudorum Meclenburgicorum singulari quadam, quali dignissimum est, commentatione docte ac eleganter illustrauit H. F. TADDEL, I. V. Licentiat, Fautor ac Amicus, quem colo, diligo ac amo; Commentationis hic est titulus? de probatione agnationis per solam identitatem nominis atque insignium secundum Iura feudalia Mecklenburgica.

c) Euolus dissertationem BOEHMERI de ordine succedendi ex iure primogeniturae inter simultaneae inuestitos in feudis Imperii Cap. I. §. 10. ibique n. b. allegata Glossaria WACHTERI & HALTHAVSII, vt & documenta historica larga manu adducta.

§. 54.

IDEM IVS, QVOD IN FEVDIS ANTIQVIS DEBETVR AGNATIS,  
IN NOVIS COMPETIT COLLATERALIBVS PRIMI AC-  
QVIRENTIS VSQVE AD QVARTVM  
GRADVM.

Quemadmodum autem in feudis antiquis simultaneae Saxonicae inuestiturae locum quasi occupat successio ipso iure iis competens, qui identitate nominis & insignium cum eo, cui succeditur, gaudent: ita etiam feudis nouis Iure nostro feudali domestico opti-  
me





me est prospectum speciali illo iure nouioribus quidem feudis Reuerfalibus concessio. e) Principes enim clementissime indulgere voluerunt, vt, quoties feuda de gente ad gentem alienatione facta transeunt, emtoris, seu potius primi acquirentis, Collaterales, vsque ad quartum gradum inclusiuę, de quorum scilicet cum eo agnatione certo constat, in contractu emtionis & consensu domini impetrato nominatim comprehendi debeant, ita vt feudum emtum, quoad ipsos nominatos eorumque heredes feudorum capaces, pro feudo antiquo habeatur. En singularem quandam Iuris feudalis Mecklenburgici a Communi differentiam! Hoc enim nullos primi acquirentis Collaterales ad successionem admittit; nostrum vero ad successionem vocat agnatos vsque ad IVtum gradum in instrumento emtionis nominatos. Simulque hic videre poteris singularem simultaneę inuestiturae speciem, cuius qualitatem, dum lege quadam speciali introducta est, ex aliis Iuribus explicare nefas esset. Sane vero illa (ita Illustri MANZELIO eam describere visum est b) nihil aliud est, praeter ius familiae per genealogiam & Reuersales competens, ipso Iure semper viuudum, & casu emergente sese exerens. A scopo meo alienum est, pluribus hic disquirere de ambiguis, quae de nostro privilegio formari solent, quaestionibus, inter quas duae illae eminent, altera, num agnatio tantum vera hic admittatur, an etiam ea ficta propter identitatem nominis & insignium locum habeat; altera, an expressa agnatorum primi acquirentis denominatio in litteris inuestiturae fieri, eiusque omissio eos iure quaesito priuare debeat; an expressa nominum positio non adeo sit necessaria? c) Mihi potius pro instituti mei ratione de eo iudicandum erit, an Collateralium primi acquirentis, vi nostrarum Reuersalium in inuestitura feudi noui comprehensorum, consensu opus sit, cum Vasallus feudi acquirens de substantia eius alienando aut oppignorando velit disponere. Ego vero non





possum non contendere, quod idem ius hisce in feudo comperat, quod agnatis ultimi defuncti in feudis antiquis Iure nostro Meclenburgico denegari non posse supra ostendi. Ipsa enim lex feuda haec noua eorum intuitu pro antiquis habenda esse, iuber; ideoque implicite eadem, quae agnatis in feudo antiquo competunt, iura collateralibus primi acquirentis tribuit ac vindicat. Ius itaque maxime certum cum hisce a lege datum sit, succedendiali quando in feudo, quid impediatur non intelligo, quo minus illud, quod in litteris Reuersalibus d. a. 1572. §. *zum achten*, agnatorum causa propter feuda antiqua, quae possessor alienare aut in pignus tradere constituit, ad Collaterales acquirentis primi feudorum nouorum applicarem, indeque iis ius praefertentiae prae aliis deberi argumentarer, adeo, ut feudum iis antea debeat offerri, quam tertio alienatur aut in pignus traditur. Qua vero oblatione facta, anomala feudorum nostrorum ratio eos non finit consensum suum in oppignorationem feudi retractare, nisi ius praefertentiae a lege iis concessum exercere velint. Ceterum vero, ubi simpliciter retractant consensum, neque ipsi feudum illis, uti decet, oblatum sibi habere volunt, eorum quoque consensus a domino in subsidium suppleri poterit; adeoque si in termino praefixo, ad quem per Proclamata citati fuerunt omnes, quorum de feudo interest, non comparuerunt, consensus eorum pro tacite interposito habendus est, neque eum postea retractare iis licebit.

a) Reuersales d. a. 1621. §. 30.

b) MANZEL in Iure Meclenburgico Illustrato Cent. V. Iud. XV.

c) TORNOV de feudis. T. I. pg. 179.

§. 55.

PATER FEVDVM OPPIGNORATVRVS, SI MASCVLA EI PROLES  
HABV EST, NON DEBET ESSE SOLLICITVS DE CON-  
SENSV FILIARVM, QVAE IVRE VSVFRV-  
CTVARIO GAVDENT.

Denique non possum, quin pauca de Iure nobilitum filia-  
rum





rum usufructuariorum ratione consensus in traditionem feudorum in pignus hoc loco addam. Quamvis enim feuda nostra non esse foemina inter omnes constat, ius tamen singulare admodum filiabus Vassalli sine masculis descendantibus diem suum obeuntis, vi consuetudinis antiquae, lege expressa postea a) agnitae, datum est, ut post mortem patris successione in feudo ad agnatos deuoluta, illis liceat feudum possidere ad dies vitae iure quodam usufructuario ipsa lege specialius determinato b) Itaque vi huius Iuris ac priuilegii num filiae patris feudum oppignorantis ad validitatem huius oppignorationis consensum suum interponendo aliquid conferre debeant, an haec sine earum consensu iisque inconsultis in praedictum iuris usufructuarii, quo alias patre mortuo in feudo gaudent, subsistat, quaestio suboritur? Nulla autem ratio subesse mihi videtur, quare consensus filiarum vassalli feudum in pignus tradentis ad validitatem negotii vlllo modo tanquam necessarius supponi debeat. Vna plures mihi sunt rationes, quae mihi hanc sententiam defendere suadent. Nulla enim lege Iuris nostri feudalis domestici legitur, quod ius patri in feudo competens per hocce ius usufructuarium filiabus concessum vllatenus restrictum sit, quare etiam non potest pater eo impediri, quo minus de feudo iis inconsultis disponat, idque accedente domini & agnatorum consensu aut in totum alienet aut in pignus alii tradat. Graue huic accedit aliud argumentum ex ipsis Reuersalium verbis c) desumptum hoc scilicet, quod, dum de concurrente aliorum iure intuitu alienationis aut oppignorationis feudorum agitur, tantum de agnatis sermo sit; *jedoch daß dasselbe zuvor den nechsten Agnaten angeboten werde*; certissimo quidem indicio, quod nullum hic ius filiarum iuris usufructuarii priuilegio gaudentium attendi debeat. Quibus vero si adiungas thesin illam Iuris generalem, quod omnia priuilegia iuraque singularia, licet ea contra concedentem late interpretari liceat, ratione





sione tertii semper restrictiue explicanda sint; ego quidem non video, quare de interpretatione priuilegii filiarum Vasalli intuitu patris aliud asserendum sit. Certe etiam si contrarium statueres, inde sequeretur, conditionem filiarum nostrorum Vasallorum ex legum voluntate meliorem omnino esse debere, quam ipsorum filiorum, quippe quos ad facta patris de feudo praestanda omnia ipsa lex feudalis obligare voluit. Nulla vero ratione hanc existisse intentionem Legum domesticarum aut Legislatorum, vel exinde luculenter apparet, quod leges nostrae filios ad successionem in feudo plenariam vocarint, filias autem ab ipsa successione plane excludant, iisque tantum ius aliquod vtendi fruendi feudo filiis demum deficientibus concedere voluerint. Quae cum ita sint, ego conditionem filiarum meliorem, quam hanc filiorum, ratione obligationis ad praestanda facta paterna in feudo existere, haud asserere audeo; potius ex mea quidem sententia filiae usufructuariae siue heredes alio die factae fuerint, siue illud repudiarint, ad exemplum filiorum obstringi debent, vt facta patris in feudo faciant. Licer enim textus II F. 45. in Megapoli nostra receptus tantum de successione & successoribus in feudo agat, ius vero usufructuarium, quod filiabus lege domestica datum est, vera successio non dici possit, potius proximus vasalli agnatus verus eius existat in feudo successor: attamen, cum hoc speciale ius quodammodo ad imitationem domini vasallorum vtilis sit introductum, neque dubito, quin huius iura ad illud analogice applicare audeam. Denique etiam hoc non negligendum esse autumo, quod filiarum Vasalli ius usufructuarium in feudo semper tanquam conditionem sine qua non, supponat, feudum adhuc in manu patris morientis existere, eiusque post mortem ad eas deuolui huius possessionem, argumento verborum Reversalium c) *die ihnen angefallenen Lehngüter*. Hinc inde enim haud inepte mihi subsumere videor, quod, si pater in feudo factum suscepit





ſcepit, quo deuolutio eius ad filias patre mortuo impeditur, tunc nullum ius filiarum exiſtere incipiat, potius earum obligatio facta paterna praefandi ſubſit certiffima. Quae quidem hucusque ſuppoſita ſi comprehendam omnia, recte ego mihi iudicaſſe videor, ſi filias Vaſalli, dum pater feudum alienat aut in pignus tradit, a iure contradicendi deſtitui, poſt obitum patris autem ad facta eius adimplenda teneri deſendo.

a) Reuerſales d. a. 1621. §. 27.

b) Singularem quadam Commentatione ſingulare illud filiarum Vaſalli ius illuſtravit doctiffime IOH. HENR. BALECKE, Verbis Roſtochientis iamiam Conſul meritiffimus in tractatu ſuo *vom Erb-Lingfern-Rechte*.

c) Reuerſal, d. a. 1621. art. 27.

§. 56.

LICET DE IURE MECKLENBURGICO VASALLIS OMNINO  
TRADERE SVA FEUDA IN PIGNVS VNIVERSITATI-  
BVS, QVAMVIS EORVM IN HASCE FACTA  
ALIENATIO HAUD VALEAT.

Coronidis ergo adiciere liceat mihi quaefionem de Iure noſtro forſan dubiam, num liceat Vaſallo feuda in pignus dare vniuerſitatibus, ſeu perſonis moralibus, quae in tranſactione nouiffima ſub nomine *der Stifter und Communen* veniunt. Ratio dubitandi haud ſane leuiſſima ex argumento tranſactionis deſumi poſſe videtur, vbi quidem ſancitur a) *nur daß Niemand eine Veräuſſerung ſeines Allodial-Gutes an Stifter und Communen unternehme*. Horum enim verborum ratione habita ita argumentari licet, vbi alienatio in genere in aliquem lege eſt interdita, ibi quoque pignoris datio eius intuitu pro prohibita cenſenda eſt; dein vero, quicquid de praediis allodialibus ſancitum eſt ratione facultatis diſponendi de iis, illud eo magis ad fundos feudales applicari debet. At vero nihilominus non poſſum non aliam ea de re tenere opinionem. Sat enim ſuperque ſupra eſſe probatam arbitror, a prohibita acquisitione dominii non ſemper valere conſequentiam, quod pignoris acquiſitio







ratio simul interdicta sit, potius statuti specialem rationem nunquam non esse attendendam, haec scilicet num ad vtrumque aequae tantum ad dominii acquisitionem trahi debeat. Si vero legis nostrae specialis de prohibita, ut ita dicam, amortizatione bonorum immobilium rationem intueris, nullam aliam esse reperies, nisi hanc, ne scilicet bona immobilia commercio civili eo eripiantur, quod in manus vniuersitatum, quae domini rerum suarum sunt immortales b) perueniant. Haec vero ratio tunc demum incidit, cum de alienatione irrevocabili stricteque tali sermo est, nequaquam vero circa dationem feudorum in pignus quadrat. Illa enim dominium, haec tantum possessionem ratione dominii naturalem tribuit, quae licet cum facultate rem pignori acceptam alienandi debito non soluto sit coniuncta, non tamen creditori dominium acquiritur, potius alienatio rei oppignoratae in tertium fieri potest. Ratio haec diuersitatis manifesta est, quare ab alienatione bonorum immobilium, quae transactione nostra in vniuersitates fieri prohibetur, ad implicite simul prohibitam horum oppignorationem earum intuitu argumentari non licet,

a) Transact. nouiss. §. 471.

b) l. 76. de iudiciis.



Non dubito fore adhuc multa de Iure nostro Mecklenburgico feudali, quae circa validam constitutionem pignoris stricte talis in feudis nostris adici potuissent debuissent. Sed pro virium meorum imbecillitate, quod plura non addam, mihi ignoscendum est. Quae autem de effectibus traditionis feudorum in pignus, iisque, quae inde oriuntur, iuribus ac obligationibus dicenda erunt, ea sectioni II dae Commentationis meae reseruari volo.





PRAENOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME  
DOMINE  
DOCTORANDE,  
FAVOR ATQVE AMICE SVAVISSIME  
ET CONIUNCTISSIME;



Coniunctissimum *Te* appello amicum, idque varia in relatione. Ita enim *Te* mecum coniungit pia memoria *Venerandi Tui Patris, Viri Illustris atque Consultissimi CHRISTIANI HENRICI ENGELCKEN, Serenissimis nostris Principibus quondam a consiliis ecclesiasticis consistorialibus meritissimi, & Vice-Directoris Consistorii Ducalis celeberrimi, ICTi maximi nominis, & de re publica tam ciuili, quam litteraria magnis multisque meritis in pa-*

P

tria



tria nostra adhuc hodie, immo in perpetuum valentis, Viri, cuius memoria mihi sancta, immo sanctissima erit, quousque spiritus meos adhuc regit artus, quique ex coniunctione cum meritis circa patriam verae quoque & haud fucatae religionis eo magis celebris, cuiusque hora decretoria & vltimus confictus semper mihi in mentem reuocat pium illud votum: *Der HErr mache mein Ende, wie dieses Gerechten!*

Coniungit *Te* mecum recordatio fauoris atque amicitiae, quae me dignum iudicauit & olim, &, id quod maxima cum obseruantia recolo, adhuc hodie dignum iudicat, *affinis Tuus Dominus BÖLCKOW*, *Nomarcha praefecturae Suanensium meritissimus atque celeberrimus*, quem non ego solum, sed multi mecum, immo omnes propter merita sua, & ingenium, quo ornatus est, opimum & sincerum, magni faciunt, cuiusque vltiori fauori memet de meliori commendatum cupio & opto.

Coniungit *Te* mecum vna, quae nobis vitam dedit, patria, ciuitas Rostochiensis; fiducia & confidentia *Tua*, qua meis praelectionibus academicis, & quali quali manuductioni *Te* committebas eo tempore, quo in nostra hac musarum sede vitam degens litterarum & iurisprudentiae culturae incumbebas; indefessus *Tuus* & strenuus semper feruor litteras colendi, coniunctus semper cum incorruptis moribus & laudatissimis actionibus; reseruatus denique mihi, quod gratissima mente agnosco, fauor & amicitia, etiam post abitum *Tuum* ad exteras academias, & reuersum in patriam.

Eo



72  
Eo maiori igitur ex ratione, eo maiori cum animi voluptate honori mihi duco, eo magis percaram mihi arripio oblatam sparram, *Te, amice coniunctissime*, deducendi in arenam disputatoriam, & testem memet constituendi publicum solidissimae *Tuae* defensionis praesentis speciminis eruditionis, quod solide elaboratum, & felici Minerua conscriptum, iam publico committis eruditorum examini, *Tibi*que postea ex mandato Serenissimi Principis nostri & ex commissis facultatis, conferendi summos, quos merito ambis, in Iure honores academicos.

Gratulor *Tibi* exantlatum, maxima cum laude, laborem; opto atque exopto *Tibi* ulteriores, digne a *Te* promeritos, futurae felicitatis progressus; & praefugio iam, *Te* futurum reipublicae & patriae decus, ornamentum, & optime promeritum civem.

Accipe, *Amice Suavissime & Coniunctissime*, hanc meam cygneam cantionem academicam in his terris in tesseram verae & sinceræ, qua *Te* colo, amicitiae & observantiae, ac memet quoque absentem in posterum dignum iudices peto, illo favore, quo hactenus amplexus es.

T I B I

Bützovii  
d. 12. Octobr. 1767.

semper deditissimum  
HERMANNVM BECKER, D.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

1811

HERMANN WILHELM RECHNER

Handwritten mark or signature





Buetano, Diss., 1761-71




5b.











6 *F. 8. num. 10.* 11

COMMENTATIO IVRIS FEVDALIS  
DE  
**TRADITIONE FEVDORVM**  
IN PIGNVS  
SECVNDVM PLACITA *1767, 1*  
IVRIS COMMVNIS PER GERMANIAM  
OBTINENTIS  
AC SPECIATIM MECKLENBVRGICI

*P. 336.*

**SECTIO PRIOR**

QVAM  
AVTORITATE INCLYTI ICTORVM  
ORDINIS  
P R A E S I D E  
**DN. HERMANNO BECKER**  
IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE P. O.  
PRO SVMMIS IN IVRE CAPESSENDIS  
HONORIBVS  
IN ALMA ACADEMIA PATRIA  
FRIDERICIANA  
DIE XXIII OCTOBRIS  
ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT  
**HENRICVS ASCANIVS**  
**ENGELCKEN**  
ROSTOCHIENSIS.

BVETZOVII, 1767.

